



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentissimis Dei

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1701

VD18 90029526

Index Concionatorius Pro omnibus Dominicis totius anni.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45487

INDEX CONCIONATORIUS

Pro omnibus Dominicis totius anni.

Dominicâ Primâ Adventûs.

T H E M A.

Videte omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum.

Luc. 21. v. 30.

Synopsis Concionis.

Qum aliquandò Propheta Regius divinæ Sapientiæ contemplaretur magnitudinem, continere se non potuit, quin præ admirationis vehementiâ in sequentia prorumperet verba: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine? Omnia in Sapientiâ fecisti: Psal. 91.* aspicio hanc in omnibus, adoro hanc in omnibus, admiror hanc in omnibus, sed illius omnia non capio, nec comprehendo prodigia. S. Hieronymus in deserto suo, ubi alteri non intendebat, nisi quod rimaretur, & seridò perpenderet divinæ hujus Sapientiæ opera, ita horum contemplatione, & aspectu afficiebatur, ut totus raperetur extra se, & omni destitueretur sensu, sanæque rationis quodammodò usu: *Totus obstupui, inquit, & sensu humanitatis amis-*

si, in sanctam amentiam conversus sum. Eheu! ut quid inquirimus oblectationem mentis nostræ in mille- nis vanis curiositatibus, quæ nos fatigant, nosque decipiunt, cum conferre nobis non possint solidam animæ nostræ pacem, nec illam, quam desideramus, cordis nostri consolationem? Ecce ipsemet Deus, ipsamet æterna sapientia, quæ perfectè exsatiat omnes beatos in cœlo, demonstrando illis omnem suam pulchritudinem, se nostris exponit oculis, seque abundè ostendit, ac manifestat nobis, ut solidâ nostrum repleat animum consolatione, quâ profectò perfunderemur, si ipsam in omnibus operibus suis considerare vellemus. Inter omnia divinæ hujus Sapientiæ opera non infimum obtinent locum arbores, & fructus terræ: Ad hos aspiciendos, & penitus contemplan-

Index Concionatorius.

dos invitat nos hodiernum Evangelium: *Videte omnes arbores, cum producant jam ex se fructum.* Huic invitationi satisfacere volens, visendam, & conspiciendam vobis proponam pulchritudinem, & varietatem

fructuum, quibus divina Sapiencia secundum diversa anni tempora exornat, & locupletat terram, ut ex horum aspectu ejusdem accendatur amore, Consult. 22. Art. 1.

Dominicâ Secundâ Adventûs.

T H E M A.

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11. v. 2.

Synopsis Concionis.

OMnis homo, modò velit, potest esse Joannes in vinculis, si nimirum amaverit Deum: Joannes idem est, quod gratia, & gratia idem est, quod DEI charitas, cum quâ juxta probabilem Theologorû quorundam opinionem realiter identificatur: Charitas autem est vinculum juxta effatum illud S. Apostoli. Coloss. 3. *Supra omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis:* quod ipsum insinuat verbum Diligo, quod penes

Ethymologiam Nominis significat, duos ligo: Joannes igitur in vinculis est anima amans Deum. Ad propositum afferuntur tria vincula, id est, tres causæ, quæ nos obstringunt ad amandum Deum. 1. absoluta necessitas præcepti divini. 2. Si præceptum non esset, maxima gloria, quam anima sperare, & aucupari potest in terris. 3. Si nec præceptum, nec gloria esset, nihil est nec utilius, nec jucundius animæ amore Dei, Consult. 2. Art. 3.

Dominicâ tertiâ Adventûs.

T H E M A.

Ego vox clamantis in deserto. Joan. 1. v. 23.

Synopsis Concionis.

Quod Poëtæ canunt de lusciniâ, hoc asserit in hodierno Evangelio S. Joannes de se ipso: de illâ ipsi canunt: *Vox est, prætereaque nihil:*

de se ipso S. Joannes dicit: non sum ego Christus, non Elias, non unus ex Prophetis: cumque urgeretur ad dicendum quis esset? respondit; *Ego vox*

Index Concionatorius.

vox clamantis in deserto. Cum ergo S. Joannes vox sit, & quidem illius verbi, de quo in initio sui Evangelii dilectus Domini Discipulus affirmat: *In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* erit occasio latè disserendi de admirandis prodigiis, virtute, operatione, ac omnipotentia hujus Verbi, cui omnia obediunt, præter cor humanum. Consult. 8. Artic. 3. & 4.

Dominicâ quartâ Adventûs.

T H E M A.

Prædicans Baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Luc. 3. v. 3.

Synopsis Concionis.

Consolatorium valdè est, quod Sancta Mater Ecclesia hoc Sacri adventûs tempore nostris accinit auribus ex Evangelico Vate Isaiâ; *Exspectat Dominus, ut misereatur vestri, & ideò exaltabitur parcens vobis, quia miserans miserebitur tui.* cap. 30. Siquidem adventurus proxime Salvator noster nil spirat, nisi misericordiam, sicut in suo Cantico vaticinatus est de ipso S. Zacharias, dum adventûs ipsius in has terras assignare nobis voluit causam, dicens: *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris.* Luc. 1. in quo autem potissimum consistit hæc mi-

sericordia? hoc luculenter exponit, dum mox adjicit; *In remissionem peccatorum eorum;* quod ipsum insinuare nobis vult hodiernum Evangelium, dum de Sancte Joanne prædicante Baptismum Christi affirmat: *prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum;* quod copiosum argumentum præbet probandi primò, quod misericordia Dei mirum in modum refulgeat in remittendis peccatis; secundo, quod adhuc magis refulgeat in modo condonandi illa. Consult. 20. Art. 1. & 2.

Index Concionatorius.

Dominicā infra Octavam Nativitatis Domini.

T H E M A.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Luc. 2. v. 35.

Synopsis Concionis.

TAm parvi æstimantur ab hominibus cogitationes, ut tritissima apud Germanos exorta sit parœmia. Die Gedanken seind Zöllfrey. Cui adstipulari videtur illud Juris Canonici, Can. Cogitationis de pœnit. dist. 1. *Cogitationis pœnam nemo patitur.* Verum glossa ibidem communiter recepta explicat, id intelligendum esse coram hominibus: nam cum homo non scrutetur cogitationes, neque percipiat secreta eorum, benè verificatur, quod cogitationis pœnam nemo patitur ab hominibus: secus est in ordine ad Deum, qui *scrutatur corda, & renes.* Psalm. 7. v. 10. unde coram Deo cogitatio prava; ac deliberata incurrit culpam, ac meretur pœnam; adeoque cogitationes malæ esse possunt radix æternæ damnationis, & è contra cogitationes bonæ fons & scaturigo beatitudinis æternæ. Cum ergo tanti ponderis sint cogitatio-

nes: quæritur, quænam cogitationes sint omnium optimæ, an primæ, an ultimæ? huic quæstioni respondet Tullius Oratorum Princeps, orat. 54. Philipp. 12. *posteriores cogitationes, sapientiores solent esse;* quod innuere etiam videtur Germanicum illud adagium; *hirschende Pserb / und gute Gedanken folgen hernach.* Verum tam Tullio, quàm huic adagio hodie contradico, & dico: Cogitationem omnium primam, esse omnium optimam: Vultis nôsse, quæ sit cogitatio omnium prima? hoc vobis declarabo, dum dicam, Filium Dei, quem modò carne humanâ velut Infantem indutum aspicitis, esse cogitationem intellectus Patris æterni, adeoque omnium primam; idò hanc cogitationem esse immensam, & æternam, ipsique omnia esse præsentia, 3tio ipsam esse vitam, & omnia habere vitam in ipsa. Consult. 8. Art. 27

Index Concionatorius.

Dominicâ infra Octavam Epiphaniæ.

T H E M A.

In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. Luc. 2. v. 49.

Synopsis Concionis.

Quantæ gloriæ sibi duxerit duodennis puer Jesus, Patrem habere se Deum, satis superque demonstravit in hodierno Evangelio, dum Matri suæ cœteroquin sibi amantissimæ, suæ remissionis in Templo Hierosolymitano causam sciscitanti, per modum excusationis respondit: *Quid est, quod me querebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* quæ verba Venerabilis Beda ita commentatur: *non, quod eum, quasi Filium quærat, vituperat; sed quod ei potius, cui æternus est Filius, debeat, cogit oculos mentis attollere:* ex quo patet, quod licet summo honore suam prosequeretur matrem, magis tamen cordi haberet Patris honorem. O terque quaterque felices nos, quod eadem cum Filio DEI nobis liceat potiri gloriâ, dum communem cum ipso nobis Deum habemus Patrem: ita

fiducialiter ipsemet nos ipsum compellare iubet. Matth. 6. *Pater noster, qui es in cœlis;* quod tanti honoris est Prærogativa, ut Sanctus Leo Papa Serm. 6. de Nativitate optimè dicat; *Omnia dona Dei excidit hoc donum, ut Deus hominem vocet Filium, & homo Deum nominet Patrem.* Utigitur majori erga tantum Patrem accendamus amore, majorique aspicere discamus ipsum honore, aptus differendi hic locus erit, ipsum triplici titulo esse Patrem: nempe Patrem æternum, Patrem omnipotentem, & Patrem misericordem: Patrem æternum respectu Filii sui Unigeniti; Patrem omnipotentem respectu creaturarum; patrem misericordem respectu peccatorum, quos sibi adoptat in filios. Fulissimè Consult. 7. Art. 2. 3. & 4.

Dominicâ Secundâ post Epiphaniam.

T H E M A.

Quodcunque dixerit vobis, facite. Joan. 2. v. 5.

Synopsis Concionis.

Mirum est, nuptiarum festarum fieri disciplinam, ipsarum-

que jucunditatem virtutis fieri Gymnasium; maximè cum verum sit, quod

T t t t t 2

quod

Inæx Concionatorius.

quod aureo suo ore profatus est S. Joannes Chrysoſtomus hom. 42. ſuper acta Apoſt. ante medium moraliſ tom. 3. *Ubi domus nuptiarum, vide illic turpia verba, riſum incompoſitum, ſeſſiones magis incompoſitas, veſtem, & greſſum plenum turpitudinis, & geſtus ſtultitiam, & inſipientiam præſeferentes, omnia illic ridicula: non ipſas nuptias dico, abſis, ſed ea, qua in nuptiis ſiunt: inſanit tunc natura, præſentes pro hominibus bruta ſiunt, & alii quidem, ut equi hinniunt, alii vero ut aſini calcitrant; magna ibi diffuſio, magna diſſolutio, nihil maturum, nihil generoſum, magna diaboli pompa, cymbala, tibia, & cantica plena ſcortationum, & adulteriorum.* Hodiernæ nuptiæ in Cana Galilææ celebratæ non vitiorum ſunt Gymnaſium, ſed virtutum, & omnis diſciplina honeſtatis: quidquid enim hic aspicio, redolet virtutem. Si aspicio Chriſtum Jeſum, invenio ipſum docere nos inprimis virtutem humilitatis, dum præſentiâ ſuâ pauperum voluit nuptias honorare; unde benè Chryſoſtomus: *qui non eſt dedignatus formam ſervi accipere, non eſt dedignatus ad nuptias venire ſervorum:* & S. Auguſtinus de verbis Domini ſerm. 41. idipſum ita confirmat: *Erubeſcat homo eſſe ſuperbus, quoniam factus eſt humilis Deus: ecce venit ad nuptias, qui cum apud Patrem eſſet, inſtituit nuptias.* Ex in Exemplum præbere voluit reverentiæ, quam debemus parentibus,

dum matris ſuæ preces exaudivit; hoc jam olim obſervavit prudentiſſimè præfatus S. Chryſoſtomus, dum inquit: *Ut Matri honorem exhiberet, & non contumax videretur matri, nevé Genitricem tam multis præſentibus pudore afficeret:* quod etiam confirmat S. Cyrillus: *quantus honor debeat parentibus oſtendit, cum ſtatim ad actum, propter matrem accedit.* Si oculos conjicio in ipſam Sanctiſſimam illius Genitricem, plures quoque in ipſâ video reſplendere virtutes: inprimis miſericordiam, & benignitatem, quâ compaſſa eſt indigentia ſponſi & ſponſæ. Audi S. Bernardum Serm. 1. in Dom. 1. poſt octav. Epiph. *Compafſa eſt enim eorum verecundia, ſicut miſericors, ſicut benigniſſima. Quid de fonte pietatis procederet, niſi pietas?* Intueor ipſius modeſtiam; non enim poſtulat imperando: fili procura eis vinum, ſed tantum eorum neceſſitatem indicat, aitque, *Vinum non habent:* audi iterum S. Bernardum Serm. 2. de B. Virgine. *Et is quidem ſermo certiffimus index in genita manſuetudinis, & Virginalis verecundia fuit, aliorum quippe verecundiam ſuam reputans ſuſtinere, non potuit vini diſſimulare defectum.* Si Salvatoris noſtri intueor diſcipulos, ſingularem quoque obſervo in ipſis virtutem, firmam nempe, & induciam fidem, quâ crediderunt in Chriſtum Dominum, velut verum Meſſiam, & mundi Salvatorem; atteſtante id Evangelio: *Et crediderunt*

Index Concionatorius.

in eum Discipuli ejus; Si ipsos nuptiarum considero ministros, quibus alias parva virtutis est cura, eximiam tamen video in ipsis refulgere virtutem, & est prompta obedientia, quâ obsecundârunt mandato Salvatoris: vix enim dicit illis Jesus: Implete hydrias aquâ; mox subditur; & impleverunt eas usque ad summum: quam promptam ipsorum obedientiam ita commendat Cornelius à Lap: ut dicere non vereatur in loc citat. non parum enim ad hoc miraculum contulit ipsorum promptum in hauriendâ aquâ ministerium, & obedientia. Rectè igitur de

hisce nuptiis affirmari potest effectum illud S. Petri Chryfologi Serm. 157. *Felices nuptia, felices illa, quibus Christus est prasens, non luxu, sed virtutibus consecrantur.* Omnes hasce virtutes explanare, nec loci, nec temporis patiuntur angustia, inhærebimus hodie virtuti, quam edocent nos nuptiarum ministri, promptitudinem obediendi Deo. Ut hanc persuadeamus, afferemus duo insignia motiva: in primis, quia ipse est Creator noster; deinde, quia est noster Conservator. Consult. 26. Art. 1. & 2.

Dominicâ Tertîâ post Epiphaniâ.

T H E M A.

Habens sub me milites, dico huic, vade & vadit, & alii, veni, & venit; & servo meo, fac hoc, & facit. Matth. 8. v. 9.

Synopsis Concionis.

Elapsâ Dominicâ didicimus obedientiam Deo à nobis præstandam per ministros nuptiarum in Canâ Galilææ, hodie frequentanda est nobis schola militum, quos hodie num commendat Evangelium: sed an boni quidpiam à militibus addisci poterit, quos non ego, sed Petrus Blefensis hisce coloribus depingit: *Ordo militum nunc est, ordinem non tenere: nam cuius os majore verborum spurcitiâ polluitur, qui detestabilius jurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei vilificat, qui*

Ecclesiam non veretur, esse hodie incatu militum fortior, & nominatior reputatur: ex quo hodie militari cingulo Tyrones decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, & deserviunt in patrimonium Crucifixi: spoliant, & pradantur subjectos Christi pauperes, & miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros, & in doloribus alienis illicitos appetitus implent voluptatum: Milites, qui contra inimicos Christi vires suas exercere debuerant, potibus, & ebrietatibus pugnant, vacant otio, mar-

Ttt tt 3 cent

Index Concionatorius.

*gent crapulâ, vitamque degenerem
in immunditiis transigentes nomen
& officium militia debonestant.* ita
ipse in Epistolâ. 94. ad Joannem Ar-
chi-Diaconum in principio. An igitur
hujusmodi Magistrorum nobis
hodie frequentanda sit schola, quæ
potius vitiorum sit sentina, quàm vir-
tutum, egregiorumque facinorum
disciplina? Verum non mitto vos ad
milites ejusmodi, sed ad illos, quo-
rum laus est in Evangelio, quæ
ipsis à suomet confertur, & attribui-
tur Centurione, dum inquit: *Ha-
beo sub me milites; dico huic, vade,
& vadit, & alii, veni, & venit, &
servo meo; fac hoc, & facit:* quibus
verbis promptissima nobis ipsorum
insinuat obedientia. Jam omnes
nos milites agimus in terris: Huf-

litico id attestante Principe. *Militia est vita hominis super terram.*
Job. 7. v. 1, cui adstipulatur S. Apo-
stolus Paulus quemcumque Christianum
sequentibus alloquens verbis;
Labora sicut bonus miles Christi;
2. Tim. 2. v. 3. Cum ergo militem
Christi nulla virtus magis exornet,
quàm obedientia, addiscamus virtu-
tem hanc à militibus hodiernis Evan-
gelicis, quæ promptè nos subjiciamus
Imperatori nostro Deo, ac su-
premo Duci Jesu Christo; ad hanc
addiscendum à ministris nuptiarum,
attulimus ante octiduum duo mo-
tiva: eò quod Deus sit tum Creator,
tum Conservator noster, hodie af-
feremus duo alia; eò quod Guber-
nator sit, & ultimus noster fias. Con-
sult. 26. Art. 3. & 4.

Eadem Dominicâ.

T H E M A.

Domine si vis, potes me mundare, & extendens Jesus manum,
tetigit eum, dicens: volo mundare, Matth. 8.

Synopsis Concionis.

Mundatus in hodierno Evangelio
à Salvatore nostro leprosus, quid
in sensu tropologico, ac morali no-
bis innuit, nisi hominem per pœni-
tentiam à leprâ peccati mundatum,
adeoque per hanc munditiam, ac
puritatem mutatum in virum, ac ho-
minem sanctum? nemo enim est,
qui ignoret, per lepram significari
peccatum; ideoque Christum in pas-
sione leprosi formam assumpsisse, ut

lepram animæ nostræ, id est, peccata
nostra in se susciperet, & curaret;
Unde Isaias capite. 53. v. 4. *Verè, ait,
languores nostros ipse tulit, & dolo-
res nostros ipse portavit, & nos pu-
tavimus eum quasi leprosum, & per-
cussum à Deo, & humiliatum:* per
munditiam autem & puritatem quid
nobis insinuat nisi Sanctitas: si
enim quæram, quid sit Sanctitas;
respondet mihi appositè divinus
Areo-

Indexe Concionatorius.

Areopagita de divin. nomin. cap. 12. in principio. *Sanctitas est ab omni scelere libera, perfecta que, ac omni ex parte incontaminata puritas: & S. Thomas Aquinas inquit tom. 1. opus 9. non minus solidè, quàm laconicè; Sanctum idem est, quod purum; imo præfatus Areopagita loco citato affirmat, quod Sanctitas & munditia non tantum in Deo sint idem, sed sint ipse Deus: audi verba ipsius: Sanctitas: & omnino immaculata munditia Deus est. Jam est quæstio, quâ ratione à nobis hæc*

munditia, & Sanctitas obtineri possit: eâ prorsus ratione, quâ munditiam suam à Salvatore nostro obtinuit hodiernus in Evangelio leprosus: quid fecit? quid dixit? Domine, inquit, si vis, potes me mundare: ecce, quod firmissimam collocaverit in potentiâ Salvatoris nostri fiduciam: si vis, potes. quod eadem hæc fiduciâ in omnipotentia Dei collocatâ obtinere possimus, modo voluerimus, Sanctitatem, ulterius hic discurrendi locus erit. Consultat. 23. Art. 1.

Dominicâ Quartâ post Epiphaniam.

THEMA.

Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei? Matth. 8. v. 27.

Synopsis Concionis,

Cum Deus purus, imò purissimus Spiritus, juxta comunem Theologorum doctrinam, nullo oculo corporæo, etiam per absolutam potentiam, videri potest: hoc nobis innuere vult S. Apostolus Paulus. 1. Tim. 6. v. 16. de Deo loquens: *qui lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: quod ipsemet Deus jam olim luculentis confirmavit verbis, dum Moyse summo populi Israelitici Legislatori dixit. Exod. 33. v. 20. non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet. Nihilominus præfatus S. Paulus Apostolus valdè consolatorium nobis suggerit modum, quo Deum etiam*

in hæc vitâ, & oculis quidem corporis ratione quâdam nobis liceat intueri, dum in epistolâ ad Romanos cap. 1. v. 20. ita loquitur: Invisibilia ipsius (nempe Dei) à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, quod ipsum confirmat Spiritus Sanctus Sap. 3. per os Sapientis dicens: A magnitudine speciei, & creatura cognoscibiliter poterit Creator horum videri. Per quod innuere nobis vult, quod dum aspiciamus pulchritudinem, magnitudinem, splendorem creaturarum, in his, & per has intueri possimus magnificentiam, majestatem, decorem, perfectionem ipsius Conditoris. Et hoc

Index Concionatorius.

Hoc ipsū cognoverunt jam olim Gentiles, inter quos laudatissimus ab omni sapientiā Trismegistus dicere non est veritus: *mundum esse librum divinitatis, & speculum divinarum*: in quo nimirum Deus seipsum, quasi Apelles summus clarè expresserit, & depinxerit, adeoque conspiciendum sese præbuerit oculis mortaliū. Non dubito, quin omnes summo Deum videndi accendantur desiderio; aperiāmus hodie hunc librum, aspiciāmus unicum tantum

ipsius folium, quia omnia ipsius per-lustrare folia temporis non patitur angustia. Quodnam est hoc folium? est illud, quod indigitat nobis auscultatum modò hodiernæ Domini-cæ Evangelium; & aliud non est, nisi mare, in quo Deus maximam suam nobis ostendit virtutem, potentiam, sapientiam, magnificentiam: Videamus, ut in Conditoris ipsius accendāmur amore. Consult. 1. in introductione; & Consult. 14. Art. 4.

Dominicā Quintā post Epiphaniā.

T H E M A.

Colligite primūm Zizania, & colligate in fasciculos ad comburendum. Matth. 13.

Synopsis Concionis.

Nihil esse omni ex parte beatum, trita est parēmia, quotidiana docet experientia: expertus idipsum est hodierni Evangelii colonus, & agricola, cujus ager quamvis attulerit fructum bonum, non tamen suis caruit zizaniis; id affirmante Evangelico textu: *Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania*, quamvis non nisi bonum semen suo crediderit agro. Dimitto litteram hujus parabolæ, meque converto ad sensum illius mysticum; per fructum bonum intelligi bonos & justos, per zizania verò injustos, & malos, nemo est, qui dubitet, quid autem significetur per id, quod sequitur: *Col-*

ligite Zizania, & colligate in fasciculos ad comburendum: S. Gregorius lib. 4. dialogorum. cap. 35. ita exponit: *Messores Angeli Zizania ad comburendum in fasciculos ligant, cum pares paribus, in tormentis similibus sociant, ut superbicum superbis, luxuriosum cum luxuriosis, avarum cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cum ergo similes in culpā ad tormenta similia deducuntur, quia eos in locis pœnalibus Angeli deputant, quasi Zizaniorum fasciculos ad comburendum ligant.* Sed quò mittent illos in fasciculos hac ratione colligatos? mox id sacer textus declarat; & mittent eos in *cam-*

Index Concionatorius.

caminum ignis; in illum nempe damnatorum ignem, de quo Salvator noster Matth. 25. v. 41. Discedite à me maledicti in ignem aeternum; in quo autem potissimum consistit huius ignis acerbitas? in ipsius aeternitate; quod Christus innuere voluit, dum dixit, in ignem aeternum; id ipsum etiam declarat Vates Isaias. c. 33. v. 14. dum totus attonitus interrogat: quis poterit habitare de vobis sum igne devorante? quis habitabit

ex vobis cum ardoribus sempiternis? ne igitur & nos in fasciculos alligati eadem aliquando calamitate involvamus, cum omnia ignis huius tormenta unico sermone complecti non liceat, in praesenti solummodo exponam horrendam ejusdem aeternitatem, quae utique tanto nos terrore percellet, ut illam seriâ meditatione hinc revolventes, illi in aeternum non simus involvendi. Consult. 12. Art. 3. & 4.

Dominicâ Sextâ post Epiphaniam.

T H E M A.

Et fit arbor, ita ut volucres coeli veniant, & habitent in ramis ejus. Matth. 13. v. 32.

Synopsis Concionis.

NON omnis contemnenda est rerum origo parva, & humilis. quid humilior est vapore? & tamen is origo est, unde illustrissimam suam deducit profapiam fulmen, quod annos prosternt quercus, fortissima demolitur munimenta, totum terrore maximo concutit Universum. Unde suam maxima quaeque flumina deducunt originem, nisi e fonte parvulo, qui in tantam aquarum excrescit molem, ut in diversissimas orbis regiones sua distendant brachia, amplissimos, ac latissimos inundent campos, vastissima navigia, velut fluctuantia in sinu suo circumferant castella: & hoc insinuare voluit Carolus Rancati, qui vastissimo cuidam flumini hanc adscripsit Epigraphen:

Fonte cadit modico: quam desumpsit ex Lucano. lib. 1. ita canente de flumine Rubicone: Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis: Punicus Rubicon; denotare volens, quod saepius ex abjecto principio plures obtinuerint magnificos honorum, dignitatumque gradus, sicut de Rutilio scribit Valerius Maximus lib. 3. c. 4. Incunabula Tullii Hostilii agreste tugurium cepit, ejusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata; validior aetas Imperium Romanum rexit; Senectus excellentissimis ornamentis decorata, in altissimo majestatis fastigio fulsit: Sic electus & erectus est Saul à curâ iumentorum ad Israelis solium; Sic David de gregibus ovium, ut esset Pa-
Uuu uu læstinæ

Index Concionatorius.

læstinæ propugnaculum; Sic Petrus Apostolus de lacu Galilææ, ut nudatis pedibus triumpharet de Gentilitate. Non absimile quid in hodierno Evangelio licet intueri; nonne enim videmus granum sinapis ex origine tenuissimâ, cum minimum sit ex omnibus seminibus, in tantâ magnitudinis excrevisse arborem, ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus? nonne cernimus hanc arborem tantâ evasisse proceritatis, ut duo pro habitatione suâ incolat, & occupet elementa; radices qui-

dem suas profundè demittens in terram; vertice autem suo altum sese attollens in aërem. Descendimus hodie mente & cogitatione nostrâ cum hâc arbore in terram; & cum eâdem nostrum attollamus animum supra aeris habitaculum; & videamus prodigia, quæ in duobus hisce elementis operata sit omnipotens manus Domini, ut exinde nostra laxentur ora in laudem ipsius, & nostra accendantur corda ipsius charitate. Consult. 14. Art. 3. & 5.

Dominicâ Septuagesimæ.

T H E M A

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum, Matth. 20.

v. 15.

Synopsis Concionis.

Cum juxta commune adagium: *Omne bonum sit communicatum sui; Cur bonitas Evangelici Patrisfamilias non effecit hodie bonum operarium illum, quem invenit murmuratorem, nequam, & malum? aliud respondere non possum, nisi quod ipsemet bonus esse noluerit; siquidem, ut optimè dicitur in decretis Gratiani parte 2. causâ 23. quæst. 6. Nemo bonus esse potest invitus. Jam quid est esse bonum, nisi esse sanctum: ex eo enim, quod bonitas specialiter attribuitur Spiritui Sancto, sicut Omnipotentia Patri attribuitur, & sapientia Filio, is specialiter quoque Sanctus esse dicitur, quamvis Pater & Filius nominis, quam ipse, sint san-*

ctitatis, quod esse bonum sit esse Sanctum, ipsemet divinus Plato, quamvis Ethnicus, agnovit, dum tom. 2. Siziçiâ. 4. de lege inquit; Ne existimes, nullos esse Sanctos, sed omnium Sanctissimus est vir bonus. Jam nullus dubito, quin omnes mei Auditores Sancti esse desiderent, ut satisficiant voto, ac voluntati Domini Dei sui. Levitici. 19. v. 2. ita nos alloquentis: Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester, ideo ut magis hujus Sanctitatis accendamus desiderio, declarabo vobis infinitam bonitatem Dei, quæ apex est Sanctitatis ipsius, fontem esse, ac scaturiginem omnis Sanctitatis justorum, ipsam-

Index Concionatorius.

ipsamque majori ardere desiderio ardeamus ipsam recipiendi, Consult. communicandi se nobis, quàm nos 23. Art. 3.

Eàdem Dominicà,

T H E M A.

Et quod justum fuerit, dabo vobis. Matth. 20. v. 4.

Synopsis Concionis.

Hic occasio erit agendi de justitià Dei, quæ quidem ubivis terrarum, ac gentium exercetur, diversimodè tamen à diversis accipitur. Justitia enim Dei adoratur in cœlo, blasphematur in inferno, contemnitur plerumque in terris, timetur à paucis, & non nisi amatur à perfectis. Consult. 19. Artic. 4.

Dominicà Sexagesimæ.

T H E M A.

Aliud cecidit supra petram. Luc. 8. v. 6.

Synopsis Concionis.

Quod per petram intelligi possint obdurati in criminibus peccatores, insinuare nobis voluit Sanctus Propheta Jeremias, dum de obstinatis in malitià Judæis ita loquitur. c. 5. v. 3. *Induraverunt facies suas supra petras.* Inter cœteras proprietates præcipuè habet petra, quod sit dura: si interrogem Seraphicum Doctorem Sanctum Bonaventuram, quidnam sit durum? respondet mihi p. 1. q. 18. Art. 7. *Durum est, quod est inhabile ad suscipiendum, stabile ad permanendum, forte ad resistendum:* Corpus durum censetur, quod idoneum non est ad recipiendum per cœlaturam, aliquam formam, figuram, imaginem, numerum, characterem; & ejusmo-

di est durities adamantis, qui non faciliè imaginis alicujus vel characteris admittit impressionem; *inhabile ad suscipiendum:* secundò corpus durum censetur, quando firmum est, & constans ad permanendum semper in eodem loco; Ejusmodi est firmitas alicujus statuæ lapideæ, vel marmoreæ, quæ constans & immobilis permanet in situatione suâ, postquam à sculptore suæ imposita est basi, & fulcimento: *stabile ad permanendum;* Tandem corpus censetur durum, quando habet robur resistendi omni violentiæ, quæ inferri poterit ipsi, illamque retundendi, atque à se repellendi: Ejusmodi est robur alicujus scopuli, qui inconcussus, & immotus permanet in medio maris,

Index Concionato rius.

maris, non obstante ventorum impetu, & tempestatum furore: *forte ad resistendum*: quod ipse dixit de duritie corporum, aptissimè applicari potest obduratis cordibus peccatorum; siquidem imprimis hæc idonea non sunt ad recipiendum bonas cogitationes, bona desideria, ardentis se convertendi, ac meliora sapiendi affectus, quos miserationis Dei inspirat gratia: *inhabilia ad suscipiendum*. Secundò firma & fixa semper sunt ad permanendum in eodem statu peccati, in eadem malâ consuetudine in iisdem offendendi Deum occasionibus; *stabilia ad permanendum*, tandem fortia, & robusta sunt ad resistendum impulsibus

Spiritus Sancti, inspirationibus Angelorum Custodum, timori gehennæ, adhortationibus Concionatorum, reprehensionibus Confessoriorum; *fortia ad resistendum*; sicque meritò dici potest, quod induerint duritiem petræ, conscientiarum suarum facies induraverint supra petras. Cum ergò hodiernum Evangelium ejusmodi petræ faciat mentionem; *aliud cecidit supra petram*: occasionem dicendi ex hoc arripio, quantum ejusmodi indurata peccatorum corda exerceant, fatigent, & excrucient patientiam Dei, quamque hæc patientia Dei magis terrere debeat peccatorem, quam ipsius supplicia, Consult. 21. Art. 1. & 2.

Dominicâ Quinquagesimæ.

T H E M A.

Jesu Fili David miserere mei. Luc. 18. v. 38.

Synopsis Concionis.

Abyssus abyssum invocat in hodierno Evangelio, abyssus nimirum miseriæ, abyssum misericordiæ: quid miserius est cæco, qui caret omni gaudio? *quale gaudium mihi erit, inquit cæcus Tobias, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Tob. 5. v. 12. hæc cæci miseriæ misericordiam invocat Christi Jesu, quæ non immeritò abyssus dicitur misericordiæ, cum omni careat fine, & nullâ exhaustiri possit miseriâ, & calamitate: non immeritò autem ipsam conceptis hisce invocat verbis: *Jesu, Fili David, miserere mei:*

dicere enim per hoc voluit; miserere mei o Messia, quem ex David habiturum prædixerunt Prophetæ: Cum enim Messias sis, tuum est miserorum misereri, & nominatim illuminare cæcos, sicut de te vaticinatus est Isaias cap. 34. v. 5. *Tunc aperientur oculi cæcorum*: credo, te esse Messiam Messia ergò munus mihi exhibe, meque illumina, ut ex eo cæteri omnes te esse Messiam agnoscant, credant & colant: cum ergo Christus tanquam Messias, & Filius David tantâ sit plenus misericordiâ, quantò majori abundabit.

Index Concionatorius.

Undabit misericordiam tanquam Filius Dei, & ipse Deus: vultis nosse, quanta hæc sit? In præfenti discursu declarabo, dum dicam, ipsam esse in-

exhaustam, tantoque ditio- rem, ac largiorem, quanto magis hauritur ex ipsa. Consult. 20. Art. 3.

Eadem Dominicâ.

T H E M A.

Domine ut videam. Luc. 18. v. 41.

Synopsis Concionis.

Dubitare quis posset non abs re, num bene, vel male fecerit Evangelicus hodiè cæcus, petendo à Salvatore nostro suorum usum oculorum, cum verissimum sit effatum illud S. Petri Chrysologi serm. 139. in princ. *Oculus mortis est janua, invidia sax, livoris caminus, qui toto cupiditatis incendio velocius per aliena percurrit, quam currit ignis arida, & terrena per gramina;* ipsique insuper adstipuletur Paganus quidem, sed sapientissimus Seneca de remedio fortuitor. dicens: *oculi irritamenta sunt vitiorum, ducesque scelerum;* adhæc non minus ornatè, quam fundatè canit Hermanus Hugo in plis desiderii.

Oculi scopuli meliori jure occandit: Heu quibus illis a tot perior erates.

Nihilominus si rem penitus inspicio, horum omnium origo malorum imputanda non est oculo, sed animo malè oculos moderanti, ita prænominato. Senecâ attestante: *nihil peccant oculi, si oculis animus imperet:* in suis proverbii in fine; quod ipsum Sixtus Philosophus confirmat sentent. 9. *non oculus peccat, sed male uti oculo peccatum est; hinc*

improbare nullatenus possum hodiernam petitionem Evangelici nostri cæci: *Domine ut videam:* præterquam enim, *quod oculus,* uti loquitur S. Joann. Chrysostomus hom. 55. super Joann. *sit ornamentum, & lucerna omnium membrorum, quodque sol est mundo, hoc oculus sit corpori;* per oculos ascendere nobis licet ad contemplandam ipsam pulchritudinem DEI, quam in facturis, & creaturis ipsius haud obscure intuemur, quas imagines Dei non immeritò appellamus, è quarum intuitu haud levem haurire nobis licet animi oblectationem; uti de se ipso canit Regius Psalter Psal. 91. v. 5. *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum.* Ut & hæc oblectatione potiri nobis liceat, proponam ejusmodi imagines mirabili prorsus arte depictas à pictoribus depingentibus semetipsum absque labore, absque colore, absque penicillo, absque fatigatione, absque intermissione, ubique, in instanti, absque forma, absque figura. Videamus, ut exinde laudamus mirandè hujus artis inventorem. Consult. 22. Art. 2.

Uuuuuu 3)

Domine

Index Concionatorius.

Dominicâ Primâ Quadragesimæ.

T H E M A.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi servies, Matth. 4. v. 10.

Synopsis Concionis.

Quod jam olim mox à Creatione suâ molitus est Sathan, hoc de- nuò moliri in hodierno præsumpsit Evangelio: illic totus inflatus arrogantia pessimum secum meditabatur consilium, dicens in corde suo: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo:* hodie eandem cum Deo aucupabatur similitudinem, dum divinos sibi arrogavit honores, velut Deus adorari veniens à Salvatore nostro, quando illi in excelsum valdè montem deducto ostendit omnia regna mundi, ipsique dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me;* sed confudit, & repulit ipsum Jesus, & ancipiti Scripturæ gladio jugulavit ipsum. *Vade Sathana: Scriptum est*

enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies; per quod insinuare voluit, nonnisi unicum esse Deum, cui cultus debeatur divinus, profundæque adorationis, & latriæ homagium; verumque esse illud Deuteronomii. 4. *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum.* Hanc Dei unitatem pluribus probare velle supervacaneum forsân videbitur, eo quòd inter bonos versetur Christianos, in fidei nostra articulis versatissimos: supervacaneum tamen non erit de illâ loqui, tum ut in fide hæc nos stabiliamus, tum ut nosmetipsos impellamus ad serviendum ferventius uni, ac soli huic Deo, maximè, cum miseris hisce nostris temporibus quàm plurimos liceat invenire, qui è propriis suis vitiis plures falsos sibi fabricentur Deos audiamus, Consult. 5. Art. 2. & 3.

Eadem Dominicâ.

T H E M A.

Tunc Jesus ductus est in desertum à Spiritu, Matth. 4. v. 1.

Synopsis Concionis.

Christus non tantum ut Homo ingressus est desertum, ac solitudinem, sed etiam ut Deus hanc ab æterno coluit, & hodie dum colit. Societas enim trium divinarum Per-

sonarum facit. 1. Ut Deus sit solus, sed non sit solitarius. 2. Ut profundo sit silentio, & loquatur semper 3. Ut fruatur perfectissimâ quiete, & tamen perpetuo operetur. Consult. 10. Art. 4. Domini-

Index Concionatorius.

Dominicâ Secundâ Quadragesimæ.

T H E M A.

Domine bonum est, nos hic esse. Matth. 17. v. 4.

Synopsis Concionis.

Quod in vertice Thaboræ dixit
Apostolorum Princeps, dum
Dominum, & Magistrum suum in-
genti aspexit circumfusum gloriâ:
Domine bonum est nos hic esse; hoc
nos omnes eâdem cum veritate di-
cere possumus, ubicunque tandem
fuerimus, in quovis angulo, in quo-
vis tugurio, tum domi, tum foris,
quicunque tandem nos teneat lo-
cus, eoquod ubivis benè nobis sit,
nec malè esse possit, cum ubivis in-
timè præsentem habeamus nobis
Deum, qui summum est bonum:
Domine bonum est nos hic esse. Si de-
sideras vitam, habes illam in Deo:
Deus namque vera, & summa vita
est, in quo, & à quo, & per quem vi-
vunt, qua verè, summèque vivunt
omnia, inquit S. Augustinus lib. 1.
Soliloq. cap. 1. Si desideras bonum,
& pulchrum; *Deus bonum, & pul-*
chrum est, in quo, & à quo, & per
quem bona, & pulchra sunt omnia;
asserit præfatus Sanctus Doctor; &
prosequitur: *Deus, à quo averti, ca-*
dere; in quem converti, resurgere;

in quo manere, consistere est; Deus,
à quo exire, emori; in quem redire,
reviviscere; in quo habitare, vive-
re est. loc. cit. *Bonorum summa Deus*
est, summum bonum Deus est: neque
infra remanendum est, neque ultra
quærendum; inquit alibi de moribus
Ecclesiæ cap. 8. *Summum Bonum om-*
nino, & quo esse, aut cogitari nihil
melius potest. de moribus Manichæo-
rum cap. 11. Cum ergò dicente S.
Ambrosio lib. 3. de Virginiaibus longè
post medium, *Deus extra, Deus in-*
tra, Deus ubique sit; nosque in ipso,
attestante Sancto Apostolo Paulo.
Act. 17. v. 28. *vivamus, moveamur,*
& simus, nonne meritissimò nobis
dicere cum Petro liceat: *Domine bo-*
num est, nos hic esse? Ut bonum hoc
tantò melius degustemus, paulò fu-
sius intimam hanc Dei nostri nobil-
cum, & in cordibus nostris præsen-
tiam explanare mens est, unde fiet,
ut & nostram melius agnoscamus fe-
licitatem, & ipsi fidelius exin infer-
viamus; Consultatione; 12. Artic. 1.
& 22.

Domini

Index Concionatorius.

Dominicâ Tertâ Quadragesimæ.

T H E M A.

Profectò pervenit in vos regnum Dei, Luc. 11. v. 20.

Synopsis Concionis.

Ubi regnum Dei est, ibi Deus est; cum igitur hodiernum Evangelium luculenter dicat, pervenisse in nos regnum Dei, dubitandum non est, quin in nos pervenerit & ipse Deus, qui intimè nobis præsens nos regat, nos gubernet, nos in omnibus moderetur, affirmante id S. Bernardo. serm. 5. de verbis Isaia ante med. *ubique regnat Deus, ubique imperat, ubique majestas ejus*: cui egregiè adstipulatur S. Isidorus Hispalensis. lib. 1. de summo bono cap. 2. sentent. 3. *Deus est intra omnia, sed non inclusus; extra omnia, sed non exclusus; Deus ubique præsens est, spiritus ejus totum implet, majestas ejus omnia penetrat; cuncta sue potentia attingit præsentia, extra eum nullus locus est, cognitioni ejus nihil occultum est, omnia secreta vis virtutis ejus irrumpit*: ita ut plenissimè

de ipso verificetur antiquissimus, & tritissimus ille versus: *Enter præsentem, Deus est, & ubique potenter.* Egimus quidem ante octiduum satis fusè de intimâ hâc DEI intra nos ipsos præsentia, cum autem hujus consideratio utilissima nobis sit, nosque ab omni lapsu in peccatum præservet, & muniat, id asserente Clemente Alexandrino lib. 3. pædagogi cap. 5. in fine. *Hæc solum ratione fit, ut quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimat*; hinc è re nostrâ fore cogitavi, si de nuò de eadem præsentia meum instituerem sermonem: in quo demonstrare adnitamur, hanc ita nobis esse necessariam, ut absque ipsâ prorsus recidamus in nihilum; modumque docebo, ut ipsam ex aspectu creaturarum semper in nobis conserveamus. Consult. 13. Art. 3. & 4.

Dominicâ Quartâ Quadragesimæ.

T H E M A.

Cum Sublevâisset oculos Jesus, & vidisset. Joann. 6. v. 5.

Synopsis Concionis.

Duplicis generis oculos sublevavit hodierno in Evangelio Jesus, tum oculos corporis, quibus vidit multitudinem maximam ad se ve-

nientem, tum oculos divinæ suæ providentiæ, quibus tantæ multitudinis satisfacit necessitati; & per hoc verificavit in se effatum illud Psalms Regii

Index Concionatorius.

regii Psalmo. 135. v. 25. de Deo canentis: qui dat escam omni carni; quæ verba ita commentatur doctissimus Cassiodorus: Deus providet omni carni; quia quidquid natat, quidquid volat, quidquid repit, quidquid graditur, ejus largitate satiat. Verum providentia Dei non tantum se extendit ad suppeditandum alimentum omni viventi, verum etiam ad moderandum, curandum, & gubernandum omnia, quæcunque sunt infra ipsum. Si enim quæram, quid sit providentia Dei; respondet mihi Hugo à S. Victore: providentia Dei est, quæ Deus curat de omnibus, quæ fecit, & nihil derelinquit ex omnibus, quæ pertinent ad ipsum, & quæ subjecta sunt ipsi, sed providet de singulis lib. 1. de Sacram. part. 2. cap. 19. brevius illam describit S. Joannes Damascenus: providentia DEI est voluntas DEI, per quam res omnes aptè, congrueque gubernantur lib. 2. de fide orthodoxâ cap. 29. hanc universalem circa res omnes Dei providentiam exprimere voluit Philippus Picinelli in mundo Symbol. lib. 1. cap. 5. Symbolo Solis: novimus solem perlustrare omnia, nec quidquam esse, quod se abscondat à calore ejus, uti loquitur Vates Regius Psal. 18. verumque esse encomium, quod ipsi attribuit Salomon, Eccles. 1. v. 6. oritur

sol, & occidit, & ad suum locum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans universa. hinc ipsi adjecit Epigraphen: omnia lustrat; alius apposuit: omnibus ac singulis Hoc ipsum dici potest & debet de providentiâ Dei, de quâ ita cecinit Salvator Carducci. *Æthere sol radians totum circumspicit orbem: Sic Deus immenso lumine cuncta regit.* Et glossa ordinaria super Job. cap. 34. ita loquitur: sic intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis: & sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis: cui affectuose ad stipulatur S. Augustinus lib. 5. Confess. cap. 11. *otu bone omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, velut solem cures, & sic omnes tanquam singulos curares, & diligeres.* His non obstantibus, cum plures invenire liceat, qui de hac Dei providentiâ vel dubitent, vel diffidant, in præsentî discursu declarare conabor, quam necessaria sit hæc Dei providentia, in quo ipsa consistat, quantique referat ipsam firmiter credere. Consult. 16. Art. 1.

Item dici potest. 1. Animæ firmiter providentiam Dei credenti; nihil esse timendum. 2. Ipsam felicem esse posse in mediis ærumnis vitæ præsentis, semperque vivere posse in pace. ibidem. Art. 2.

Index Concinatorius.

Dominicâ Passionis.

T H E M A.

Est Pater meus, & non cognovistis eum, ego autem novi eum. Joan. 8. v. 55.

Synopsis Concionis.

Dubitare an Deus sit, foret propositio tam horrenda, ut sufficiens esset ad concutiendos cardines mundi, & horrore percellendas universas creaturas, hinc cum Seraphicus Pater meus Franciscus permisisset nonnullis suis fratribus, ut suam Theologiæ studio navarent operam, voluit aliquando experiri, quem è suis studiis referrent fructum, & intrans in classem, audivit ipsos proponentes hanc quæstionem; *Utrum sit Deus?* ex quo ita commotus, & animo offensus fuit, ut totus Zelo gloriæ Dei succensus ita alloqueretur ipsos: Hem fratres mei, quid agitis? quò redacti estis? credebam efficacia inquirere vos motiva, quibus exstimulemini ad amandû Deum; & vos quæritis, an Deus sit. Sed satisfecerunt ipsi dicendo; quod proponerent de hoc quæstionem, non verò de eo dubitarent; quod de hoc loquerentur, ut se in hâc fide confirmarent, non ut oppugnarent ipsam; Et nos per gratiam Dei non dubitamus, ideoquè nec inquiremus; *Utrum sit Deus:* ingenuè tamen fateri debemus omnes, nescire nos,

quid sit Deus, nos haudquaquam cognoscere ipsum, quisnam sit, & qualis sit, ita, ut Salvator nolter non immeritò impropere nobis possit, quod in hodierno Evangelio impropere Judæis: Est pater meus, quem vos dicitis; quia Deus vester est, & non cognovistis eum, ego autem novi eum. Cum ergo cognitio Dei non tantum sit maximæ utilitatis, sed & summæ ad consequendam salutem necessitatis, affirmante id luculenter Lactantio Firmiano in epitome divinarum institut. in princip. *Quid tam justum ad aequitatem, tam pium ad honorem, tam necessarium ad salutem, quàm Deum cognoscere;* & affirmante id ipsû inter Paganos Trismegisto. libro de potestate & Sapientiâ Dei: *hec unica salus homini, cognitio Dei;* hinc ut omnes impendamus vires ad obtinendam hanc Dei nostri cognitionem, in præsentî discursu declarabo, cognitionem hanc maximam esse intellectûs, & mentis nostræ oblectationem, illamque & jucundius, & facilius omnibus aliis scientiis posse comparari Consultat, 1. Artic. 1. & 2.

Domi-

Index Concionatorius.

Dominicâ Palmarum.

T H E M A.

Solvite & adducite mihi. Matth. 21. v. 2.

Synopsis Concionis.

Non ita contemptibiles videri debent asini, uti vulgò habentur; potissimum cum aptissimum verorum servorum Dei sint Symbolum. Servorum verorum officium, atque partes sunt operari ad Domini placitum, idque instar jumenti, Ecclesiasticus expressit, cum scriberet cap. 33. *cibaria & virga, & onus asino: panis & disciplina & opus servo.* neque hæc asini comparatio pudere debet servum Dei, qui ita Deo servit, ut discipulus magistro, juxta illud Joan. 6. v. 45. *Erunt omnes docibiles Dei;* quando apud Hebræos, teste Aldrovando de quadruped. c. 1. asinus discipuli Symbolum est. Hinc fortassis Ammonius Alexandrinus, Philosophus Christianus, atque publicus Alexandria Professor, qui & Origenem, & Porphyrium deinde Apostatam, numeravit inter discipulos, his iisdem fertur, asinum velut Condiscipulum adhibuis se, uti refert Eusebius lib. 6. c. 13. Certè Cleanthes insignis diligentia laude, & diurni, nocturnique laboris in studia impensi famâ clarissimus, eandem comparisonem, nomenque non erubuit, cum dixit, *asinum se esse, sed qui portare possit sarcinam Zenonis Magistri sui, & in philosophicâ scholâ antecessoris.* quin & David Rex, aliàs servi Dei nomine glo-

riatus. Domino dicebat Psal. 72. *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum; tenuisti manum dexteram meam; & in voluntate tuâ deduxisti me, & cum gloriâ suscepisti me.* Ecce unâ confessione se jumentum fatetur, & legis viâ deductum ad opus, neque tamen hoc sibi inglorium putavit, cum gloriæ præmium ex hoc ipso acceperit. Et Issachar à Patre benedictus audit, se ad labores ruris à Deo destinatum esse verbis illis Gen. 49. v. 14. *Issachar asinus fortis;* neque tamen inde contristatus, animante Moyse: *Latere Issachar in tabernaculis tuis* Deut. 33. v. 18. Hæc de laude asini proferre, & præfari volui, ut & suam darem asino laudem, qui hodie in dorso suo nostrum portavit Salvatorem. Sed huic immorandum esse non censeo, adeoque ab illo me converto ad Discipulos Domini: quid hi fecerunt? quod ipsis à Domino fuerat demandatum: *Solvite, & adducite mihi:* solverunt, & adduxerunt, quod & nos solvere & adducere debeamus, si veros servos Dei agere velimus, in præsentem decurabo: Solvere quidem cor nostrum ab omni alio præterquam amore Dei; & adducere quoque proximum nostrum ad ejusdem amorem, ac servitium Consult. 28. Art. 1. 2. & 3.

Xxx xx 2

Domi-

Index Concionatorius.

Dominicâ Resurrectionis.

T H E M A.

Surrexit, non est hic, Marci. 16. v. 6.

Synopsis Concionis.

Victoria! *Victoria!* exclamet hodie omnis creatura, & triumphatori mortis festivam admoduletur Alleluja: abjicite pyxides devotæ mulieres; non funesto quod afferitis, Salvator noster, amplius indiget oleo, qui resurgens à morte jam oleo est unctus lætitiæ; cultros arripite, lauros demetite, fertaque flectite, triumphantem coronate: lugubris, quam hucusque submurmurastis, taceat nœnia; hilaresque nobiscum clangite, pangite, concinite pœana: Jo dicite, *Victoria, victoria?* quid quæritis viventem cum mortuis? Luc. 24. v. 5. concedite ad vivos, & redivivum nuntiate; *circueuntes dicite discipulis ejus, quia surrexit.* Matth. 28. v. 7. Sed quid ad jubiliū invito mulieres? non & nos gaudendi, jubilandi, plaudendi copiosissimam tenemus segetem, possidemus ansam, habemus argumentum? cum plurima è resurrectione Christi dimanent in nos beneficia: *Resurrectio Domini, inquit S. Augustinus Serm. 2. de Ascens. Spes nostra est; Ascensio Domini glorificatio nostra est. resurrectio Christi est vita universorum,* inquit S. Ambrosius in Psalm 36. *Resurrectio Christi est defunctis vita, peccatoribus venia, Sanctis gloria,* inquit

Eusebius Emisēnus homil 2. de Symbolo. *Pascha Christi est regnum caeli, salus mundi, vitæ credentium, occasus inferni, gloria superiorum, resurrectio mortuorum, pretium redemptionis humana, cognitio mortis abolita,* inquit S. Augustinus Serm. 7. Dom. in octav. Pasch. quidni igitur identidem & nos cantemus, resurgenti gratulemur, nobisque ipsis applaudamus, dicamusque cum Paulo. 1. Cor. 15. v. 57. *gratias Deo, qui dedit etiam nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum?* verum quid conferre potissimum possumus ad hanc resurgentis Christi gloriam? mihi videtur nos nihil melius conferre posse, quam si ipsum à mortuis resurgentem imitemur. quid fecit ipse? audite, quid Sanctus Apostolus Paulus dicat Rom 6. *Christus resurgens ex mortuis non jam moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus est peccato mortuus est semel, quod autem vivit vivit Deo; imitabimur ipsum, si impleverimus consiliū Doctoris Angelici. opusculo. 6. super Symbol. Apost. ita nos alloquentis: Studeamus resurgere spiritaliter à morte animæ, quam incurrimus per peccatum, ad vitam justitiæ, quæ habetur per penitentiam.* Sed advertite benè; resurgendum est nobis

Index Concionatorius.

nobis cum Christo ad vitam: qualis est hæc vita? an advertistis, quid dixerit Apostolus? quod autem vivit, vivit Deo: est vita profus divina,

quâ ratione hanc vitam divinam obtinere possimus, aliquantò fufius explanabo. Consult. 29. Art. 2.

Dominicâ in Albis.

T H E M A.

Ut credentes vitam habeatis in nomine ejus, Joan. 20. v. 31.

Synopsis Concionis.

NON capio, quâ ratione verificetur illud Salvatoris nostri effatum, quod nobis per penam dilecti sui discipuli exaratum reliquit Joan. 10. v. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*: quomodo abundantius? nonne longè ante ipsius adventum primævi majores nostri plura numeravere vitæ suæ sæcula, quàm nos numeremus annorum nostrorum decades? Lamech ætatis septingentesimū septuagesimum explevit annū, Gen. 5. v. 30. & modò quàm parvus eorum est numerus, quibus detur attingere septuagesimum? *longævi appellantur hoc tempore etiam, qui septuaginta annos vixerunt*; inquit S. Augustinus enarrat. in Psal. 89. Malaleel annum octingentesimum quintum vivendo affecutus est: modò quot hominum millia censeas, antequàm octogenarium Senecionem unum invenias? annum nongentesimum quintum Enos, Cainam decimum, & nongentesimum suæ vitæ postremum numeravit: Seth fructum hanc vitâ scimus annis nongentis duodecim, & Adam nongentis triginta: denique nongentorum, sexaginta duorum annorū fuit ætas

Jaredi, & aucto numero nongentorum sexaginta novem annorum vita Mathusalæ: modò verò non simile prodigio videatur, in nonagenarium, vel centenarium senem incurrere? noster enim verò, noster est ille cantus Prophetæ Psalmo. 89. v. 9. *quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in irâ tuâ defecimus: anni nostri sicut aranea meditabuntur* (id est, reputabuntur simillimi telis aranearum, quæ quovis momento à minimâ virumpuntur) *Dies annorum nostrorum, secundum communioem nunc vitæ cursum, septuaginta anni: si autem in potestatis* (id est, ut explicat Ludolphus Cartusienfis, in illis, qui habent potentem, & fortè complexionem) *octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* His inquam stantibus non capio, effati illius Evangelici veritatem: *Ego veni, ut vitam habeant & abundantius habeant*; cum pauciores post, quàm ante Salvatoris nostri adventum numeremus vitæ nostræ annos. Sed exortū enodat mihi dubium Cornelius à Lap. in loc. cit. secundum mentem S. Chrysof., Cyrill., Theophylacti, & aliorū: ego veni, ut de fidelibus vitâ,

Index Concionatorius.

non qualem qualem, sed præstantem, eximiam, spiritualibus donis abundantem, novam, modum excedentem; mihi addere id liceat; & vitam prorsus divinam, vitam, quâ ipse vixit post resurrectionem suam: *Christus resurgens à mortuis non jam mo-*

ritur; quod autem vivit, vivit Deo. In quo vita hæc divina consistat, quæ exemplo ipsius amplectenda nobis est, diximus partim ante octiduum, nunc quæ illius residua sunt, enucleabimus. Consult. 29. Art. 3.

Dominicâ Secundâ post Pascha.

THEMA.

Sicut novit me Pater, & ego agnosco patrem. Joan. 10. v. 15.

Synopsis Concionis.

Omnes naturaliter scire desiderant, sed non omnes in hoc sciendi desiderio eundem sibi præfigunt scopum, non omnes ad metam collimant eandem: hoc verum esse, non minus eruditè, quàm solidè enuntiat mellifluus Bernardus serm. 36. in cant. circa med. *Sunt, qui scire volunt, eo fine tantum, ut sciant, & turpis curiositas est: sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est; scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter: sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant pro pecuniâ, pro honoribus, & turpis questus est: sunt, qui scire volunt, ut adificent, & charitas est; & item, qui scire volunt, ut adificentur, & prudentia est.* Verùm, sicut diversû in sciendo tenent scopum; sic diversas quoque circa objectû sciendi ineunt semitas: adjiciunt aliqui animum ad Mathematicam, alii juris prudentiæ suam navant operam, alii facultatis Medicæ aucupantur aphorismos, alii Rhetorices inquirunt, & colligunt

fiosculos, alii Dialectices delectantur sensibus, alii Musices intendunt modulis, & concentibus. Verùm vix est, qui ad Dei anhelet cognitionem, cum tamen in hæc vera consistat sapientia, ita dicente Lactantio Firmiano: *Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat, & colat;* hoc Christianorum dogma, hæc sententia est. lib. 3. de falsâ sapientiâ cap. 30. quod breviter confirmat S. Hilarius lib. 8. de Trinit. post. init. *nescit sanè sapere, qui Deum nescit. Deum nôsse, vivere est,* inquit S. Augustinus in medit. cap. 32. *Deum cognoscere solida justitia est;* asserit S. Methodius. Sermon. de purificat. B. M. ante med. cui adstipulatur ipsemet Spiritus Sanctus Cap. 15. *nôsse enim te consummata justitia est, & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Ut ad hanc Dei, divinorumque cognitionem nos invitet, è contra à vanarum scientiarum studio avocet, ita juxta morem

Index Concionatorius.

rem tuum egregiè loquitur S. Augustinus. *Erubescat superbus, & infelix peccator, & timeat elatione cœcatus, scientiâ inflatus, cui plus placet ars Aristotelis, quàm scientia de Apostolis; plus Codex Platonis, quàm liber divinus; quem nulla lectio latificat, nulla scientia edificat, cui nullus sermo sapit, nisi fuerit grammaticè conceptus, dialecticè imaginatus, rhetoricè purpuratus. Vana hujus vitæ studia relinquunt homines, & de studio vanitatis veniant ad studium veritatis, & de*

studio stultitiæ, ad studium sapientiæ. Ita ille de speculo peccatoris, capite. 6. in principio, & circa medium tom. 9. Cum igitur Christus Dominus in hodierno Evangelio de hac cognitione Dei faciat mentionem, dum inquit: *sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem;* & ego jam nuper in Dominicâ Passionis satis superque hanc inculcaverim cognitionem, hodie necessarias declarabo, & inculcabo dispositiones, quibus hæc Dei cognitio obtineri possit, ac debeat. Consult. 1. Art. 3.

Dominicâ Tertiâ post Pascha.

T H E M A.

Mulier cum pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum. Joan. 16. v. 21.

Synopsis Concionis.

Problema est, majus ne sit parturientis mulieris tormentum, an gaudium, cum disceptari in utramque partem: utrumque non absque solidis rationibus possit. Certum videtur, utrumque haud leve esse, nec mediocre, cum ambo vehementissimè afficiant, illud quidem corpus, hoc verò mentem, ac animum parturientis. Quantum ad tormentum, maximum hoc esse oportet, eo quod facer codex, quando doloris cujusdam declarare vult vehementiam, hunc in comparationem adducat cum foeminae parturientis dolore. Ità legimus Deuteronomii 2do. Ubi Deus maximam describere volens

calamitatem, quâ afficere volebat populum, ita inquit. *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo, ut audito nomine tuo paveant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.* v. 25. & iterum declaraturus horribile excidium Babylo-nis, quod sævissimum omnino fuit, hæc utitur loquendi ratione: *Ukulate, quia prope est dies Domini, quasi vastitas à Domino veniet; propter hoc omne cor hominis contabescet, & conteretur; torsiones, & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt.* Isa. 13. v. 6, & 7. Quod autem tor-

mento

Index Concionatorius.

mento non minus ipsius sit gaudium, hoc ex eo mihi constare videtur, quod infante in mundum vix nato, mox omnis dolor absorbeat a gaudio, uti ipsa divina veritas attestatur in hodierno Evangelio: *mulier cum parit, tristitia habet, et, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Hinc est, quod Sanctissimus Mediolanensium Antistes Ambrosius dulcedinem & periculum, dolorem & voluptatem simul in matribus jungat, dum lib. 1. de virginibus ante medium ita fermocinatur: *quàm voluptati; periculis emitur,*

nec pro arbitrio possidetur. Habet mater heredes, sed auget dolores. Verum an sufficit ita cum gaudio simul & dolore genuisse sobolem? an per hoc solum aliquis evadit in Patrem, aliqua evadit in Matrem? non quid ergo Patrem vel Matrem facit? sapientissimè respondet S. Joannes Chrysostomus lib. 1. Adversus vituperationem vitæ Monast. post medium, dum inquit: *patrem non facit generatio, sed recta morum institutio.* Et hoc optimam mihi præbet occasionem in præsentis discursu declarandi summam obligationem, quam parentes habent benè educandi suos filios, Consult. 28. Art. 4.

Dominicâ Quartâ post Pascha.

T H E M A.

Arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me.
Joan. 16. v. 9.

Synopsis Concionis.

Infelix omninò est, qui amat mundum, qui affectu, & corde adheret ipsi, qui immoderatis desideriis prosequitur ipsum: quisquis talis es, audi, quid tibi dicat Sanctus Augustinus in manuali capite. 30. in principio, dum non minus blandè, quàm sanctè modulatur.

Quisquis amat mundum, tibi prospice, quò sit eundem:

Hæc via, quâ vadis, via pessima, plenaque cladis.

Infelix est hic mundus, quem non inhabitat, nec inhabitare potest spi-

ritus Sanctus, qui spiritus est puritatis, spiritus munditiæ: non benè convenit spiritui mundissimo cum mundo, qui est immundissimus; non benè conveniunt, nec in unâ sede morantur, Spiritus Sanctus, qui totus est lux, & mundus, qui totus est nox. quod ita sit, testem habeo mellifluum Bernardum Serm. 75. super cantic. ita differentem: *habet mundus iste noctes suas, & non paucas, cum penè totus ipse sit nox, & totus semper versetur in tenebris: quid dico, quia noctes habet mundus an non*

Index Concionatorius.

*non nos, ubi non percipiuntur ea, qua sunt Spiritus Sancti? & hinc est, quod hodiernum Sanctum Evangelium luculenter dicat, venturum esse Spiritum Sanctum, ut arguat mundum: de quo? de peccato: quia totus mundus plenus est peccatis, imò totus est mare peccatorum. Si enim interrogem, quid sit mundus? respondet mihi Hugo Cardinalis super. 3. Reg. 18. *Mundus dicitur mare, quia tumet per superbiam; spumat per luxuriam; servet per iracundiam; nubilus est per tristitiam; omnia flumina in se recipit per avaritiam; major piscis ibi minorem devorat per rapinam; mortuos eicit, vivos attrahit per invidiam.* Cum ergò mundus sit mare peccatorum, veniet Spiritus Sanctus, qui est mare gratiarum, & arguet ipsum, cum nullum peccatum tolerare possit in animà, quam inhabitat. Ita me docet præfatus mellifluus Serm. 1. pentecostes. Serm. 2. in fine: *ne minimam paleam peccati intra cordis (quod possidet Spiritus**

*Sanctus) habitaculum patitur reside-
re; sed statim igne subtilissima circum-
spectiois exurit spiritus ille dulcis,
& suavis.* Quamvis autem Spiritus Sanctus arguiturus sit mundum de omnibus peccatis, potissimum tamen arguet ipsum de peccato infidelitatis; quia expressè dicitur; *arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me.* Dicat mihi hinc aliquis: quando igitur modò veniet Spiritus Sanctus in mundum, nihil ejusmodi arguendum inveniet in mundo, saltem, qui Christianus est, quemque incolunt Christiani, qui firmissimè credunt in Deum, apud quos proinde nullum infidelitatis peccatum est arguendum, cum nullus Atheismus regnet inter ipsos, sed hoc ipsum est, quod in præsentì sermone declarabo. 1. an vel non sint veri Athei in mundo. 2. unde veniat, quod plures, qui dicunt se non esse Atheos, vivant tamen velut Athei. 3. quod quisquis verè crediderit in Deum, id demonstret per sua opera. Consult. 4. Art. 4.

Dominicà Quintà post Pascha.

T H E M A.

Nunc scimus, quia scis omnia. Joan. 16. v. 30.

Synopsis Concionis.

Qui multa vult scire, diu & multa debet addiscere, quia non nisi discendo acquiritur scientia. hinc est, quod sapientissimè mouet Caro Poëta.

Ut sapiens vivas, audi quo discere possis,

Instrue præceptis animum, nec discere cesses.

Ita canit lib. 2. metro. 8. & lib. 3. metro. 4. hoc consilium sapientissimi quique viri amplexati sunt, quibus suam scientià imbuere animum fuit

Yyy yy cordi,

Index Concionatorius.

cordi, quamvis nobilitate fuerint illustres, senioque graves: nobilis erat, & sacer senex Hieronymus; nobilis, & sacer senex Augustinus. Quid hic ad ipsum scripserit, vis nōsse? lege: *ad discendum*, inquit, *quod opus est, nulla mihi etas sera videri potest; quia etsi senes magis decet docere, quam discere, malo tamen discere, quam quid doceam, ignorare*; ita S. Augustinus in Epist. ad S. Hieronymum, quis sensus de hoc? quæ praxis Hieronymo? de se ille testatur epist. ad Pammachi. & Ocean: se jam canoeca ite Alexandriam perrexisse, ut audiret Didymum, à quo quidem, quod nesciebat, didicit, & quod sciebat, illo docente non perdidit: subditque, cum putarent homines, finem discendi ipsum fecisse, rursum venisse se Jerosolymam, & Bethleem, ut Barrabanum præceptorem audiret. Origenem jam canum Hebraicis litteris addiscendis operam dedisse, idem scribit Hieronymus de Scriptor. Ecclesiast. Huc pertinet, quod Clemens Papa scripsit planè terribile omnibus iis, qui satis se sapere arbitrantur, adeo quæ discere negligunt; epist. 3. relat. distinct. 38. c. finali: *nullus, ubi ait: nullus Episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis, à parvulis, vel minimis eruditus, si quid fortè est utilitatis, aut salutis, inquirere negligat: qui enim discere, atq; agere bona recusat, magis Diaboli, quam Christi membrum esse ostenditur, & potius infidelis, quam fidelis monstratur*. Verum non

modò Sancti Patres, Doctores, ac Præfules hoc addiscendi exarserunt desiderio; sed & Ethnici eodem succenssi, hisce præluxerunt Exemplo. Plato in *Lachete* è sententiâ, adeoque mente Solonis, inter se, tem prodigia Sapientiæ Græcæ non postremi monet: *tamdiu discendum, quam vivimus*; proverbium hoc veteribus fuisse attestatur Seneca politicus sapiens, & usurpandum opere præcipit, scribens ad Lucilium epist. 76: *tamdiu discendum est, inquit, quamdiu nescias, & si Proverbio credas, quamdiu vivas*. Pomponius Jurisconsultus insignis in L. apud Julianum ff. de fidei com. liber. apud Tiraquell. de jure primigen. n. 199. in præfat. fatetur, se jam annos octo & septuaginta natum, discendi tamen cupiditate teneri, & hunc in finem refert dictum Juliani: *etsi alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc addiscere vellem*. Hi & plures ejusmodi quamvis hoc suo plurimum succensso discendi studio sibi plurimam comparaverint scientiam, nulli tamen ipsorum hæc potest attribui laus, quam in hodierno Evangelio discipuli nostro attribuerunt Salvatori: *Nunc scimus, quia scis omnia*: verum enim est, quod exaratum reliquit devotissimus Thomas Kempensis. lib. 1. de imit. cap. 2. *Si tibi videtur, quod multa scis, scito tamen, quia sunt multò plura, quæ nescis*: non nisi Deo soli cum veritate dicere possumus: scimus, quia scis omnia: siquidem juxta mentem Sancti

Index Concionatorius.

Sancti Augustini lib. 11. Confess. c. 4. *Scientia nostra scientie Dei comparata ignorantia est.* Hoc verum esse, evincet, dum in presenti dis-

curso declarabo, scientiam Dei esse infinitam, ipsumque unicam & solam scientiam cognoscere res infinitas. Consult. 18. Art. 1. & 2.

Eadem Dominicâ.

T H E M A.

Ipsè enim Pater amat vos. Joan. 16. v. 27.

Synopsis Concionis.

TRitissima apud antiquos erat præmia: *Sapere, & amare vix Diis conceditur*: hujus ratio est, quod anima sibi ipsi præsens non sit, quando amat, sed objecto amato suam exhibeat præsentiam, juxta alterum illud effatum: *Anima magis est, ubi amat, quam ubi animat.* quod hic dicitur de amore naturali, verificari de summo Dei erga nos amore, pro more suo divinè dicit divinus Areopagita de divin. nominibus cap. 4. *Audebimus & illud pro veritate dicere, quod ipsemet Creator omnium propter amatoriam suæ bonitatis magnitudinem extra se factus sit.* Verè enim qui ab æterno habitabat intra se ipsum, Deus extra se ipsum factus est, quando ex amore erga genus humanum, humanam assumens naturam, nostram indutus est carne. Non tantum autem despiciere, sed etiam non videre videtur amor: hinc est, quod Ægyptii, uti auctor est Alciatus, in suis emblematis, depingere solebant Amorem cœcum, vel velatis oculis: *tela, alasque ferens, lumina nulla tenet*: cujus sanè picturæ, quamvis nonnulli eam reddiderint rationem, quia amor

amantes excœcat, juxta illud Propertii, 2. elegiarum: *scilicet insano nemo in amore videt*; & illud Ovidii: *quid deceat, non videt ullus amans*: mihi tamen sic amorem depinxisse videntur, ad significandum, illum verum, & perfectum amantem censendum, qui clausis oculis absque disquisitione meritorum rei dilectæ, aut propriæ obligationis, ad illi benè faciendum, amoris pondere fertur: qui enim merita discutit, aut obligationes explorat, prudentis quidem aut grati, non tamen veri amantis appellationem meretur. Talem se quoque ostendit amor Dei erga nos, non enim ulla in nobis vel vidit; vel discussit merita, quorum virtute ad nos amandos alliceretur; cum nondum effemus, jam ab æterno amavit nos; *In charitate perpetuam dilexi te*, inquit ipse, *ideo attraxi te, miserans tui.* Jerem. 31. v. 3. id est, sicut Cornelius hic explicat: *idque non merito vitæ tuæ, sed meam solam misericordiam*; imò amavit nos non tantum nulla habentes merita, sed plurimorum potius demerita peccatorum quod dicere voluit S. Paulus Apostolus Rom. 5. vers. 8.

Yyy yy 2 & 9.

Index Concionatorius.

& 9. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Quanta sit hæc Dei erga nos amoris magnitudo, per totam Consultationem 25. fusillimè, & efficacissimè declaratur.

Dominicâ Sextâ post Pascha.

T H E M A.

Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum remiscamini. Joan. 16. v. 4.

Synopsis Concionis.

REferunt plures, inter quos Cicero lib. 2. de orat. & 4. de finibus; & Plutarchus lib. 5. Apophtegmatum, floruisse apud Græcos virum quendam nomine Themistoclem, incredibili quâdam animi, atque ingenii magnitudine præditum, cui cum Simonides artem memoriæ polliceretur, oblivionis, inquit, artem mallem, *nam memini eorum, quæ nolo; oblivisci non possum, quæ volo.* Ex quo colligere haud obscurè licet, non omnem memoriæ nostris esse votis prosequendam, sed eorum tantummodò, quæ bona sunt: quod insinuare voluit Philo Judæus de agricult. post med. tom. 1. dum inquit: *memoria non quævis bona est, sed ea sola, quæ summa nostra est miseria, facillimè recordamur malorum, bonorum autem ægerrimè, & non nisi maximâ cum difficultate: hoc est, quod deplorat purpuratus Præsul S. Petrus Damiani lib. 7. epist. 18. ad Guillam Comitissam ita scribens: Infelix cor; quod Evangelica tenere mysteria centies perlecta non sus-*

ficit; & semel tantum aspecta mulieris formæ memoriæ non amittit. Ad bonorum memoriæ retinendam suos in hodierno Evangelio Salvator noster adhortatur discipulos, dum inquit illis: *hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, remiscamini eorum, quia ego dixi vobis: scilicet eorum, uti exponit Cornelius hic, quæ dixi vobis de persecutione, & odio mundi in vos, & etiam de adventu Spiritus Sancti vos confirmaturi.* hæc & omnia, quæ bonorum gaudent nomine, in memoriâ velut in thesauro reponenda sunt; verum enim est, quod dicit S. Hieronymus lib. 12. super Ezechielem cap. 40. *nihil prodest vidisse & audisse, nisi ea, quæ videris, & audieris, in memoriâ reposueris thesauro.* Cum ergo Deus bonorum omnium fons sit, & bonorum omnium supremum, potissimum ipse in hoc memoriæ thesauro collocandus erit. Ut ad hoc ipso opere complendum tantò acrius nosmetipsos exstimulemus, maximas in præsentî discursu pro-

Index Concionatorius.

proponam utilitates, quæ ex hac Dei memoriâ oriuntur. imprimis anima sæpius Dei memor, à nullâ vincetur peccati tentatione. 2. vitæ præsentis tribulationes non turbabunt ipsam. 3. ipsa nunquam non vivet in summâ pace, & maximo gaudio spirituali. Consult. 3. Art. 3.

Eadem Dominicâ.

Sub eodem themate, & exordio proponi poterit, quàm deploranda sit continua hæc Dei oblivio, in quâ vivimus: item oblivionis hujus ex-

poni poterunt causæ: quarum prima est, parva nostra fides. 2da. exiguus amor Dei. 3tia. defectus exercitii. Consult. 3. Art. 2.

Eadem Dominicâ

Eodem retento themate, & exordio paulisper immutato declarari poterunt mira prodigia, quæ memoria complectitur humana, unde plurimum tam insignis operis commendabitur Auctor Deus, Consult. 3. Art. 1.

Dominicâ Pentecostes.

T H E M A.

Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Joan. 14. v. 26.

Synopsis Concionis.

INter alia elogia, quibus à Scripturâ Sacrà condecoratur Spiritus Sanctus, tertia in Sanctissimâ Trinitate Persona, non minimum est, quod nuncupetur ab ipsâ flumen. Sic illum nominat Vates Regius Psal. 45. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Non me fugit, inquit Hector Pintus in Ezechielis cap. 37. non deesse, qui per flumen hoc intelligant Jordanem, cujus imperum ajunt lætificasse civitatem Dei, hoc est populum Judaicum, cum ad ejus transitum illius aquæ confiterunt; sed

tunc dicendum erat: Fluminis divisio, & aquarum statio, non autem fluminis impetus. Oblectentur suo Jordane Judæi; ego namque aliud flumen existimo illud esse, quod civitatem Dei, id est, Dei Ecclesiam gaudio afficit, cum Basilio magno, & Aurelio Augustino, & aliis hujusmodi Patribus, qui præstantibus ingenii, admirabili Sanctimoniâ, eximia sapientiâ exculsi, per flumen hoc intelligunt Spiritum Sanctum per fidem & virtutes influentem in pectora credentium, unde fluunt

Yyy yy 3 adm

Index Concionatorius.

admirabiles illæ aquæ, de quibus ait Christus Joan. 7. *qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aqua viva: & subjungit Evangelista: hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Verùm cui potissimum flumini comparandus erit Spiritus Sanctus? Abbas Picinelli in mundo Symbolico lib. 2. c. 24. affirmat, ipsum assimilari posse flumini Nilo, eò quod hic per septem orificia largissime aquas suas diffundat per totam Ægyptum, ipsamque summè fœcundam reddat, addito lemmate: *Septem discurrit in ora; ex Virgilio. lib. 4. Georgic. per septem autem hæc ora aptissime intelligi possunt septem dona Spiritus Sancti, quæ ita enumerantur à Prophetâ Evangelico: Isaia c. 11 v. 2. Requiescet super eum spiritus sapientia, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientia, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Et hoc totum in Elogiis supra Litanias Lauretanis titulo, *Spiritus Sancte Deus*, ita rythmicè complexus sum:

*Si Nilus in septem se ora partitur,
Fœcunda Ægypto dans ubera;*

Et Spiritus Dei septena largitur
Uberrim fidelibus munera.

Quod sese diffundat tam large hoc
Numen:
Dives est flumen;

Quod gratiæ multos dat latices,
Hos bibes, os mentis si applies:

Cum igitur per flumen hoc Nilum non inconcinne intelligi possit summa liberalitas, & munificentia Spiritus Sancti, qui simul dator est, & donum, donum scilicet Dei Altissimi, in præsentis discursu aliquantò fufius declarabo (cum omnia ipsius dona unico sermone complecti non possim) ipsum animæ, quam inhabitat, communicare tres omninò singulares, & permagnos favores. Consult. 9. Art. 4.

Eadem Dominicâ.

Sub eodem themate, & exordio probari, & ostendi potest, datorem hunc, Donumque Altissimi, Spiritum Sanctum procedere è corde Patris & Filii, ut regnet in cordibus nostris; Secundò, quæ dispositiones afferri debeant ad recipiendum ipsum dignè, & conservandum, Consult. 9. Artic. 3.

Domi-

Index Concionatorius.

Dominicâ SS. Trinitatis;

T H E M A.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.
Matth. 28. v. 19.

Synopsis Concionis.

ELoquar, an sileam? silere me jubet solidissimum illud Illuminatissimi S. Patris Augustini effatum libro Secundo de visitatione infirmorum cap. 21. in principio, ubi inquit: *Mirabile illud ac Trinitatis Unitate, & de unitatis Desicâ Trinitatis Sacramento magis est credendum, quam exp. nendum; cui adhi. pulatur & illud devotissimi Abbatis Lætiensis Ludovici Blosii dogma, & documentum in speculo spirituali cap. 10. ante med. Non nisi sobrie loquaris de Mystério altissima Trinitatis: quia tam impossibile est, ut quis illud explicet, quam impossibile, ut homo in terra stans, calum digito contingat.* Hanc de Sanctissimâ Trinitate differendi difficultatem agnovisse videtur Prophetæ Jeremias, dum accepto prophetandi mandato, oneris gravitatem, suamque imperitiam contestaturus aiebat. *A, A, A, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Jerem. 1. v. 6. Visa sunt Interretibus ea Prophetæ verba plena mysteriis, ita, ut illud balbutientis infantia signum. A, ter ab eo repetitum esse existiment, quo ter Sanctæ Trinitatis inscium se, illique prædicandæ inidoneum profiteretur:

atque hunc sensum, quamvis illum P. Cornelius à Lap. in loco cit. Symbolicum esse, & subtilitatis habere plus, quam soliditatis affirmet; ego hodie mihi statuo amplectendum. Trinitati festus dies hic agitur, mihi verò de eâ loquendi onus hæc horâ incumbit; cumque illud à me amoliri non possim, ordiar cum Prophetâ sermonem, & dicam: *A, A, A, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum;* & si essem disertissimus rhetorum, si oratorum antesignanus, si linguis hominum, & Angelorum loquerer, nihil tamen amplius possem de illâ proferre, quam unus infantulus, qui præter suum *A, A, A,* latrare nihil, aut balbutire didicerit: ut enim aliquâ de re sermonem prudente auditorio dignum instituamus, oportet eam antea cognitione complecti, & menti insculptam, impressamque tenere: ter Sanctam verò Trinitatem, quis cognitione complecti, quis hominum, vel Angelorum lux possit menti imprimere? cum verum omnino sit effatum illud Sancti Columbani Abbatis instructione 1. dicentis: *Quoddam insuperabile pelagus est Dei unitas Trinitas: altum calum, & lata ter-*

Index Concionatorius.

ra, & profundum mare, longaque
saecula: sed altior & latior, & pro-
fundior, longiorque est scientia Tri-
nitatis. Cum igitur de eâ loquen-
dum sit mihi, haud aliter, quàm
more pueri balbutientis loqui mihi
licet, ne igitur in tam profundo ab-
errem pelago, ita Dei Tri Unius o-
pem efflagito:

Meum cum excedat captum,
Comprehensu non sit aptum
Hoc arcanum, non intendam
Vires, ut id comprehendam,
Loquar simplicissimè.
Tam me cœcum dum agnosco,
Deus Trine opem posco;

Te præbeto mihi Ducem,
Ne aberrem, mihi lucem:
Ibo sic tutissimè.

Sed quid dicam? in præsentî ser-
mone dicam, primò, quod tres Per-
sonæ Divinæ non distinguantur ab
essentiâ Dei, quæ faciat, quod unum
& tria non sint, nisi unum. 2dò pro-
ponam alia quædam stupenda pro-
digia, quæ fides nos docet circa in-
effabile hoc mysterium. Consult. 6.
Art. 2.

Eâdem Dominicâ,

Vide Consultationem totam sex-
tam, ex quâ plures adhuc Concio-
nes facillimè circa Sanctissimæ Tri-
nitatis Mysterium formare poteris,

Dominicâ Secundâ post Pentecosten.

T H E M A.

Ut impleatur domus mea. Luc. 14. v. 23.

Synopsis Concionis.

PER quàm pulchra, mirè splendida,
omnem supra modum magnifica
debet esse domus Dei, cum beatos
prædicet illos Regius Propheta, qui-
bus auspicata contigerit fors inhabi-
tandî illam, dum Psalmo 83 v. 5.
ita canit. *Beati, qui habitant in do-
mo tuâ Domine, in saecula saeculorum
laudabunt te.* Quænam autem, aut
qualis est hæc domus Dei? multifa-
riæ à Sanctis Patribus & Doctõribus
ejusmodi domus designantur. Hu-
go à S. Victore dicit: *Domus Dei to-
tus est mundus; Domus Dei Ecclesia
Catholica est; Domus Dei etiam est*

*quilibet fidelis: in mundo est, ut Im-
perator in regno in Ecclesiâ est, ut pa-
ter familias in domo, in animâ est, ut
sponsus in thalamo.* lib. 1 de arca Noe
moralis cap. 1. circa med. Alius Hugo
à Sancto Caro Cardinalis plures ad-
huc profert in medium ejusmodi do-
mus Dei, dum super Psalm. 25. fol.
60. col. 2. tom. 2. inquit: Domus Dei
est humanitas Christi, beatissima
Virgo, quælibet anima fidelis, con-
scientia pura, corpus Justi, fides,
quælibet virtus, Ecclesia militans,
Ecclesia triumphans, Religio, hospi-
tale pauperum, vita activa, vita con-
templa-

Index Concionatorius.

templativa, Sacra Scriptura. Credo equidem, omnes hæc domos longè pretiosiores ab ipso æstimari domo prorsus aureâ Neronis, in quâ, ut scribit Suetonius in Nerone cap. 31, cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant; quæ porticus triplices milliarias habebat; item stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad urbium speciem; rura insuper arvis, atque vinetis, & pascuis, sylvisque varia: pretiosiores insuper aulâ Cleopatrarum, quam velut genialium voluptatum, gaudiorumque nidum poetico graphio delineat Lucanus:

Ipse locus templi (quod vix corruptior ætas

Exstruat) instar erat: laqueataque tecta ferebant

Divitias, crassumque trabes absconderat aurum.

Pretiosiores quoque palatio Regis Sinarum, quod ita describit Majorius lib. 1. colloquio. 23 titulo Palatia. Chinense palatium, aulas septuaginta novem amplissimas conti-

net, atque tantæ vastitatis est, ut dies absumat tota in ipsis aulis, cubiculisque perlustrandis: ex iis aulis quatuor insigniores sunt, una supernè & infernè tota ære, alia argento tota, auro, & encausto alia, quarta unionibus, pretiosisque gemmis contacta est. Sed non immeritò quæritur, ubi habitaverit Deus, & quænam fuerit domus ipsius, antequam fuerit mundus, Humanitas Christi, Beatissima Virgo, Anima fidelis, conscientia pura, Corpus Justæ, Ecclesia militans, Ecclesia triumphans, & plura ejusmodi: cui quæstioni aptissimè respondetur per antiquum, & notissimum versum, quod habitaverit: *Tunc ubi nunc in se, quoniam sibi sufficit ipse*: quod in præsentî discursu fusius deducam & dicam, DEUM inhabitare in se ipso, essentiamque divinam esse palatium, ubi habitent personæ divinæ, sicut & in eadem essentiâ tria esse palatia pro tribus personis adorandæ Trinitatis, Consult. X. Art. 1. & 2.

Dominicâ Tertiâ post Pentecosten.

T H E M A.

Erant appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum, Luc. 15. v. 1.

Synopsis Concionis.

INter alias præclari, & egregii Principis dotes hæud mediocriter commendatur, si facilem subditis suis ad se præbeat accessum, si benignum ipsorum precibus, & supplicationi-

bus tribuat auditum insinuare hoc voluit doctissimus P. Gambertus Symbolo solis, qui congenitâ suâ beneficentiâ omnium oculis indies expositus, nemini non sui reperien-

Zzz zz

di,

Index Concionatorius.

ei, videndique copiam exhibet, cui lemma è Virgilio. 4. Georgic v. 272. sui junxit: *Facilis quærentibus.* Talem omnino oportet esse bonum Principem, qui juxta sententiam Claudiani de raptu Pros. debet esse velut *commune Numen*, ad quod omnes confugiant, cujus omnes & alloquio & auxilio fruuntur. Talem sese exhibuit omni ævo laudatissimus Rex David, qui de se ipso canit Psalmo. 100. v. 2. *Perambulabam in medio domus mea;* ubi nimirum omnes liberum ad me habeant accessum, ubi absque difficultate ab omnibus inveniar, ubi omnes suas mihi exponere poterunt necessitates Unde Franciscus Titelmannus illa Davidis verba ita commentatur: *Eum, qui præest, in medio domus oportet ambulare; omnium enim curam gerat necesse est: & rursus; illum in medio oportet ambulare, ut æquè propinquus æquè expositus sit omnibus;* oportet illum esse velut solem, qui facilis sit quærentibus; esse velut turrem, qui tatus in omne pateat. Regem David laudabilissimè imitatus est gloriosissimæ memoriæ Rudolphus Imperator; cum enim aliquot pauperes ab audientiâ suâ per satellites repelli cerneret, mox ad milites conversus: *per Deum*, inquit, *finite homines ad me venire: non enim ideo Imperator sum, ut in arculâ includar,* uti luculento testimonio affirmat Lipsius differat. ad Albert. Austriac. Hoc encomio Paulinus etiam S. Ambrrosium celebrat in ipsius vitâ, ita scribens: *facillimi ad eum aditus,*

etiam infimis; palàm omnibus, eum alloqui cupientibus Sanctus vir propositus erat, nullus ingredi à janitoribus vetabatur: omnes ad se vententes benignè excipere, unius cujusque audire negotia, commodis, & opportunitatibus omnium servire, singulorum levare molestias, & perferre miseras, & infirmitates consuevit: Hisce omnibus exemplar sese proposuit ad imitandum Dominus, ac Salvator noster, qui Rex Regum est, ac Dominus dominantium Apoc. 19. non enim facillimus tantum fuit ad ipsum aditus, sed benignissimè omnes, ut se accederent, ipsemet invitavit: *Venite me ad omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. ita ut neminem excluderet prorsus, sed omnes abs ullâ personarum admitteret acceptione, tam malos, quàm bonos, tam justos, quàm injustos. Hoc in hodierno Evangelio optimè noverant, qui ipsi conveniebant publicani & peccatores; *Erant appropinquantes ei Publicani & peccatores, ut audirent eum,* quos tanta benignitate excepit, ut murmurarent Pharisei & Scribæ, dicentes: *hic peccatores recipit.* Felices sanè, & terquequaterque felices, quibus tam familiariter licuit cum benignissimo Jesu conversari; sed multò feliciores nos, quibus non tantum cum dulcissimo Jesu, sed cum omnibus Sanctissimæ, & adorandæ Trinitatis personis conversari, & colloqui licet familiarissimè; quâ ratione conversandum, & colloquendû cum illis practicè, in præsentî discursu vos docebo.

Dominicâ

Index Concionatorius.

Dominicâ Quartâ post Pentecosten.

T H E M A.

Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Luc. 5. v. 8.

Synopsis Concionis.

OMnes peccatores omni carere prudentiâ, & insipientiâ insigni caractere, diversis in locis sacræ loquuntur litteræ: ita Deut. 32. vix dicitur de populo Judaico: *peccaverunt ei, generatio prava, atque per versa, mox subditur; hæcine reddis Domino popule stulte, & insipiens.* Similiter ubi primum Evangelicus Prophetâ Isaias lamentabiliter conquestus est. cap. 24. *Propter hoc maledictio vorabit terram, peccabunt habitatores terra; statim subjunxit; insanient cultores ejus:* in quæ verba egregius Isaiæ Ex positor Hector Pinthus ita scribit: *aspicis hic apertissimè, homines humanis vitiis implicatos, qui non cæli, sed terra cultores appellantur, insanos esse, eorumque insaniam ex peccatis provenire.* Unde in Psalmo septimo, ubi nostra editio habet: *Dixi iniquis, nolite iniquè agere, habet versio Felicis: Dixi insipientibus, nolite insanire: idem enim vocabulum, & iniquum, & insipientem significat.* Omnis enim iniquus est insipiens. Sacris litteris ad stipulantur Sancti Patres, è quibus unicum adducam S. Joannem Chrysostomum hom. 17. super Genes. ante med. ita loquentem: *peccatum, si introierit, non solum confusione totum replet hominem, sed & insipientem facit eum, qui antea intellectu, & sapientiâ multâ præditus fuerat:*

alibi nimirum hom. 9. super. 1. Cor. in princ. moral. ita loquitur: *nihil tam præter rationem est, quam peccatum, nihil tam stultum, nihil tam fatuum.* Cum igitur in hodierno Evangelio Petrus adhuc Piscator palam fateatur se peccatorem esse, dum Salvatorem nostrum ita alloquitur: *Exi à me, quia peccator sum Domine,* dicere utique voluit, fatuum se, insipientem se esse. Sed iudicio meo potius dicere debuerat: mane mecum, quia peccator sum Domine; agnosco te omnipotentem esse Medicum, adeoque rogo te, ut mei insipientiam peccati curare velis: probè novi, contraria contrariis curari; ego insipiens peccator sum; tu Sapiencia es æterna; tu es, in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei sunt abscondit: ergo sana me; quæ verba licet Petrus non protulerit ore, protulit tamen illa procul dubio corde, cum mox exauditus sit, & sanatus à Salvatore nostro, qui ex insipiente peccatore ipsum mox fecit Apostolum, dum nempe dixit illi: *noli timere, ex hoc jam homines eris capiens;* dum autem hæc ratione fecit illum Apostolum, fecit quoque è peccatore ipsum Sanctum. Jam nullus dubito, quin anhelemus omnes cum S. Petro evadere Sancti: vultis nôsse, quâ ratione hoc obtinere possimus: in præsentî discursu id docebo,

Z z z z z 2 dum

Index Concinatorius.

dum dicam, Sanctos nos fore; si dirigi nos patiamur à luminibus divinæ sapientiæ, quæ est JESUS CHRISTUS. Consult. 23. Art. 2.

Dominicâ Quinta post Pentecosten.

T H E M A.

Nisi abundaverit justitia veltra p. usquàm Scribarū & Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5. v. 20.

Synopsis Concionis.

RE-rehenditur in hodierno Evangelio non abs re à nostro Salvatore Phariseorum, & Scribarum justitia; & hoc juxta mentem Cornelii à la. idē incitatum Thematis nostri locum, tres potissimum obrationes, quæ faciebant, ut, quamvis ipsi à vulgo doctissimi, & justissimi, & sanctissimi haberentur, multum tamen à verâ deflecerent justitiâ. 1. quia magis externas actiones, quàm internas affectiones domabant, latagebant enim coram hominibus apparere legis observatores, & justii: 2. quia legis litteram pravo sensu, & explicatione pervertebant 3. quia justitiam suam magis in caremoniis, ac præsertim crebris lotionibus, quàm in vero Sanctitatis spiritu collocabant: unde fiebat, ut, quantumvis justii coram hominibus, coram Deo tamen injustii haberentur, juxta Paulinum illud effatum. Rom. 2. v. 13. *Non auditores legis justii sunt apud Deum, sed factores legis justii abuntur.* Jam si justitiam Dei non solum cum hâc Phariseorum, sed cum omni quâcunque justitiâ humanâ comparemus, verum omnino effatum S. Gregorii Magni lib. 5. mo-

ral. c. 28. *humana justitia divina justitia comparata, injustitia est. quia & lucerna in tenebris fulgere certatur, sed in solis radios posita tenebratur.* Sed dicat mihi aliquis: adoro quidem, & summe revereor justitiam Dei, aut capere non possum, quâ ratione, cum justissimus ipse sit, impios accumulet prosperitate, & calamitate hic in terris obruat justos, ac bonos. Et hoc ipsum mecum capere non potuit Propheta Jeremias. c. 12 v. 1. ita alloquens Deum: *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum; veruntamen justa loquar ad te: quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt?* ac si diceret: Justiores, quàm ut debeam tecum disputare, & scio, quod post omnem disputationem vincas, & justus apparebis: tamen pace tuâ liceat mihi afflicto affectui meo nonnihil indulgere, atque proponere justam meam, ut mihi videatur, expostulationem, & querelam: cur scilicet impii prosperentur, pii affligantur? siquidem cum juxta mentem S. Thomæ 2. 2. quaest. 88. Art. 1. *justitia sit perpetua, & constans*

Index Concionatorius.

flans voluntas, jus suum cuique tribuens: id est, mercedem bonis, supplicium malis; cum juxta sententiam S. Augustini Serm. 2. Dominic. 23. post Trinit. justitia sit mensura, quã debemus metiri penas, & merita ponderare; quomodo intelligi potest, justum esse Deum, cum vi-

deatur omnino agere contrarium; dum malis confert præmia, & bonis irrogat supplicia. Hanc quæstionem in præfenti discursu enodabo, declaraturus ipsum semper justè agere, sive malos bonis, & bonos malis afficiat; sive bona bonis, & mala malis impertiatur. Consult. 19. Art. 2. & 3.

Dominicã Sextã post Pentecosten.

T H E M A.

Manducaverunt, & saturati sunt. Marc. 8. v. 8.

Synopsis Concionis.

NON immeritò Salvator noster in hodierno Evangelio miserus est turbæ, quæ secuta est ipsum à longè, & hoc ob famem, quam sui causã tolerabant, non levem, ita ipsemet affirmante: *Ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent: Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in viã.* Magna sanè miseria est fames; & si Sancto Basilio magno credimus; *fames humanarum calamitatũ caput existit, miserrimumque mortis genus est, fame perire.* Conc. 11. de fame ante fin. Jam duplex est fames, una corporum, animarum alia: de utrãque optimè dicit S. Hieronymus lib. 3. super Amos cap. 8. in illud: *Ecce dies veniunt, & mittam famem in terram: nihil est fame durius, quã sepe compellit obsessos, humanis vesci corporibus, & in suam savire naturam: si hoc facit fames corporum, quid de fame dicendum est animarum?* Dimitto hodie famem corporum, meumque serm. converto ad famem

animarum, quæ tantò miserior est, quod nullã re terrenã, nullã mundi felicitate possit satiari; ita dicente Sancto Bernardo Serm. de convers. ad clericos c. 22. *facta est valida fames in terrã: qui pecuniam diligit, non satiatur; qui luxuriam appetit, non satiatur; qui gloriam querit, non satiatur; qui mundum amat, non satiatur;* hujus rei rationem adducit ex pulcherrimã institutã similitudine Seraphicus Doctor Bonaventura: dum super Ecclesiasten post initium proemii ita dicit: *Sicut ventus non satiat ventrem, nec umbra replet; sic nec temporalia, quæ sunt umbra æternorum, satiant animam.* Hoc expertus est celebratissimus, & locupletissimus Rex David, qui nullã terrenã, vel felicitate, vel voluptate animæ suæ unquam potuit satiare famem. Dic nobis, mi David: quid esuris? an aurum & argentum? Ecce Deus tantam tibi contulit hujus copiam, & ipsemet fueris fessus;

Zzz zz 3 Ecce

Index Concionatorius.

Ecce ego in paupertate meâ præparavi impensas domus Domini, auri talenta, centum millia, & argenti mille millia talentorum, æris verò & ferri non est pondus. 2. paral. c. 22. v. 14. an satur es? non: quid ultra esuris? an honores, & dignitates? Ecce è pastore ovium sublatus es ad dignitatem regiam, summum honorum omnium, qui conscendi interris possit, verticem; pro baculo pastoralis jam manus in torquet sceptrum, corpus vestitur murice, caput refulget diademate: an modò satur es? non: quid ergo amplius esuris? an hostium spolia, an victorias, an triumphis gloriam? Ecce tantis locupletatus es victoriis, triumphis, hostiumque spoliis, ut illorum iniri haud valeat numerus, cum uni tibi decem millia devictorum hostium attribuerint Israelis virgines, triumphali tux pompæ accinentes: *percussit Saul mille, & Da-*

vid decem millia. 1. Reg. 18. an denique satur es? non, non: quando ergo satiaberis? *Satiabor, satiabor,* inquit exclamans ad Deum, *cum apparuerit gloria tua.* Psal. 16. Solus & unicus Deus est, quo satiari potuit. Hoc iterum pulcherrimâ similitudine declarat Hector Pintus in Ezechielis caput. 36. v. 29. Ut lapis, etsi auro ornetur, & in arculâ pretiosâ includatur, non tamen propensionem amittit, quam habet ad centrum, & proprium locum, ubi est ejus quies: sic anima nostra, quam vis magnis mundi opibus & dignitatibus affluamus, non tamen tranquilla omninò, & satiata est, donec in cœlo conquiescat in Deo, illoque in æternum fruatur, quod ut melius capiamus, in præfenti sermone declarabo fusius, animam nostram satiari, & impleri non posse nisi æternâ possessione D E I. Consult. 12. Art. 1.

Dominicâ Septimâ post Pentecosten,

T H E M A.

Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Matth. 7. v. 21.

Synopsis Concionis.

Difficilis quidem ambulatu, non tamen difficilis inventu est via, quæ ducit ad regnum cœlorum. Sciunt enim ipsimet Christiani per se, & si non diceret ex S. Augustino P. Cornelius à Lapide. in Matth. c. 7. *Angustam portam, arctamque viam esse legem Dei, quæ cupiditates nostras*

arctat, & constringit; Sciunt ipsi per se, etsi taceret Euthymius: viam arctam esse virtutum operationem, quæ ingredienti præparat ad labores, ac afflictiones, donec ad finem perveniunt. in Matth. c. 5. etsi denique dictum non esset à Thomâ Kempensi lib. 2. de imit. Christi, c. 12. *non est alia*

Index Concionatorius.

alia via ad vitam, & veram internam pacem, nisi via Sanctæ Crucis, & quotidiana mortificationis: Sciunt tamen ipsi per se, dictum à S. Paulo: Art. 14. v. 21. quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Sciunt denique dictum ab ipso Domino nostro. Luc 9. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Non est ergo semita cœli difficilis inventu, sed ambulatu ingrata est, magisque declinatur inventa, quam ignota quærat. Verùm an spatiofam viam, quæ ducit ad perditionem, suis carere difficultatibus putamus? neutiquam his caret illa; habet enim verò & ipsa difficultates suas, hasque maximas. Fatentur id ipsum impii, propriâ edocti experientiâ, Sap. 5. v. 7. Lassati sumus in viâ iniquitatis, & perditionis; & ambulavimus vias difficiles; Et quomodo ipsorum viæ non sint difficiles, cum de illis dicat Vates Regius Psal. 13. v. 3. Contritio, & infelicitas in vis eorum, & viam pacis non cognoverunt; siquidem ut rectè Lorinus ait, aut fœdantur luto intemperantes,

aut lapidibus læduntur avari, aut a duo lassantur ascensu ambitiosi, aut spinis cruentantur iracundi, aut tenebris invidi cœcantur, aut turbâ adulatores comprimuntur, malisque exemplis; aut in æqualitate, & confragositate acediosi retardantur; Paulò aliter hoc ipsum exprimere voluit Sanctus Antoninus parte. 1. tit. 5. cap. 3. §. 1. ab initio dicens: septem sunt viæ difficiles: *via montuosa, via spinosa, via tenebrosa, via lutosa, via tumultuosa, via sumptuosa, via tædiosa: via montuosa superborum; via spinosa, avarorum; via lutosa, luxuriosorum; via tenebrosa, invidorum; via tumultuosa, iracundorum; via sumptuosa, gulaforum; via tædiosa acediosorum.* Ex quo tandem patet, utramque viam esse difficilem, tam eam, quæ ducit ad regnum cœlorum, quam illam, quæ ducit ad perditionem, ad infernum, ad regnum Sathane. Sed jam est quæstio, quænam ex ambabus sit facilior, an via ad æternitatem beatam, an illa ad æternitatem infelicem, ac miseram. quæstionem hanc in præfenti discursu resolvam, declaraturus faciliorem esse viam cœli, quam viam inferni. Consult. 12. Art. 2.

Dominicâ Octavâ post Pentecosten.

T H E M A.

Facite vobis amicos; Luc. 16. v. 9.

Synopsis Concionis.

Quanta sit in humanâ conversatione amicitia tum necessitas, tum jucunditas, jam olim veteres tum Philosophi, tum Oratores ag-

noverunt. Quantum ad necessitatem, dicit Aristoteles lib. 8. de moribus cap. 1. *Amicitia res est ad vitam degendam maximè necessaria.*

Vultis

Index Concionatorius.

Vultis nōsse, quā necessaria? quid magis necessarium est, aquā & igne? & tamen Tullius oratorum Princeps lib. de amicitia luculenter asseverat: *Itaque non aquā, non igne magis utimur, quā amicitia.* Quantum ad iucunditatem, affirmat idem loc. cit. *Solem ē mundo tollere videntur, qui amicitiam de vitā tollunt, quā nihil melius habetur, nihil iucundius: quid namque dulcius, quā habere, cum quo audeas omnia sic loqui, ut tecum?* Eiusdem mentis fuit Socrates, dicere solitus, uti habetur in apophthegmatibus Pauli Manuti lib. 3. n. 13. *Nullam esse possessionem pretiosorem vero, bonoque amico, nec aliunde plus fructus, aut voluptatis capi.* Hoc non ignorabat Darius Regum potentissimus, Punicum aliquando is pomum, regales inter epulas referaverat, cum non nemo apparentibus divulso cortice granis, sciscitari ausus est: Cujus rei tantum numerum habere optaret, quantus illic inesset numerus granorum? Tum mox Darius respondit: Zopyrorum (erat autem Zopyrus amicus ipsius fidelissimus) significans, nihil desideratius esse, aut posse, aut debere magno fidorum amicorum numero: tantā enim fide fuerat Zopyrus, nobilis Darii Consiliarius, ut cum aliud medium, quo Dario Babyloniam urbem subjiceret, non videret, semel nare, & auribus mutillarit, talisque nimium credulis ad summum Magistrum e- vectus, tradidit Dario, quod Baby- lioniis eripere nequirit, urbicum

munimentum. Idem Manutius lib. 5. n. 6. quā omnia veritati consona esse, confirmat sacer codex per os Siracidis. Eccl. 6. v. 14. ubi dicit: *Amicus fidelis, protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum;* & paulo post quā preciosus hic thesaurus sit, addit: *non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem illius.* Verum rari sunt nantes in gurgite vasto; rari admodum fideles sunt amici ē numerosissimā amicorum frequentia: S. Thomas Aquinas tom. 1. opusculorum opusc. de diversit. hom. in medio affirmat; quatuor esse genera amicorum præcipuorum, scilicet amicos fortunæ, amicos mensæ, amicos fidei, & amicos servitii: *primi inquit, fortunā recedente præsugunt: secundi mensā cessante evanescent: tertii perdurant durante servitio:* ē quibus omnibus tertii duntaxat amici sunt fideles, & verorum amicorum digni elogio, quorum numero accensendi quoque veniunt amici in hodierno Evangelio, qui villicum in extremā necessitate constitutum suis exceperunt domibus, nec in summis ipsū dereliquerunt angustiis. Non dubito, quin omnes Auditores mei, fideles gestiant habere amicos, probè gnari, quid Sanctus dicat Augustinus de amicitia cap. 19. *Nihil in amicitia fide præstantius;* ut in horum electione non errent in præsentī sermone aliquandō susius declarabo, fidelio- rem Deo amicum haberi non posse. Consult. 2. Art. 1. & 2

Dominicā

Index Concionatorius.

Dominicâ Nonâ post Pentecosten.

T H E M A.

Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, LUC. 19. V. 42.

Synopsis Concionis.

Quid sibi vult Salvatoris nostri in hodierno Evangelio Jerusalem aspicientis fletus? lætus cum potius debuisset aspicere illam, utpote aspiciens *visionem pacis* (hoc enim Jerusalem significat, ita canente de cœlesti Jerosolymâ in Solemnitate Dedicationis, Sanctâ matre Ecclesiâ: *Cœlestis urbs Jerusalem, beata pacis visio*) quæ risum potius, quàm fletum ciere est nata, cum juxta mentem Sancti Joannis Chrysostomi hom. 2. super Epist. ad Coloss. post medium. *pax mater sit honorum omnium, pax causa sit, & materia gaudiorum.* Verum Civitas Jerusalem ipsam jam ruperat pacem, pacem cum Deo, quæ vera pax est, cum recesserit à justitiâ, & pietate, in quâ vera pax consistit, id afferente S. Isidoro Pelusiotâ lib. 3. Epist. 246. ad Petrum. *pax vera ea est, quæ justitiâ, & pietate corroboratur;* cum à Dei se ipsam separaverit voluntate, quæ veram constituit pacem, id affirmante Sancto Leone Papâ Serm. 9. de Nativitate ante medium: *Verapax est, à Dei voluntate non dividi, & iis solis, quæ Deus diligit, delectari.* Quapropter cum prior ipsa hanc ruperit, & violaverit pacem cum Deo, & bellum ipsi indi-

xit Deus jam cuedens in æterno justitiæ suæ divinæ decreto ac concilio pœnas, ac supplicia, haud multò post per excidium Titi ipsi infligenda: Et hoc est, quod ex oculis dulcissimi Salvatoris nostri pientissimas expressit lacrymas. Ideò enim inquit Lyranus in Luc. cap. 19. *flevit super illam, tum propter mala culpa, quæ ibi multiplicata fuerant, tum propter mala pœna, quæ futura imminebant.* Verùm cum mala hæc ipsam tangant, & involvant civitatem, cur non potius flevit ipsa, sicque flendo, deflendo & mala culpæ avertit à se supplicia, & mala pœnæ? Ideò quia non cognovit jam concepta super se divinæ justitiæ consilia, quod innuere vult Salvator noster, dum dicit: *Quia si cognovisses & tu, id est, juxta explicationem S. Gregorii hemil. 39. Bædæ, & aliorum, sicut ego cognosco, utique fleres, sicut ego fleo; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* O quantum abscondita hæc Dei super nos non minus, quàm super civitatem Jerusalem justitiæ divinæ consilia terrorem incutere deberent nobis, quem ut aliquantis per mitigem, ne nostrum pusillanimitate obruant animum, in præsentis dif-

Aaa aaa cursu

Index Concionatorius.

curfu declarabo, illa à nobis temerariè examinanda non esse, minus autem condemnanda, sed acceptanda velut justa; & omni æquitati consentanea. Consultat. 19. Artic. 5.

Dominicâ Quinta post Pentecosten.

T H E M A.

Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant, Luc. 18. v. 9.

Synopsis Concionis.

Stultorum infinitus est numerus, dixit jam olim Spiritus Sanctus per os Ecclesiasticus cap. 1. v. 15. Horum numero accensendi sunt illi, quorum mentionem facit hodiernum Evangelium, quibusque erudiendis, & ad prudentiam revocandis Salvator noster proposuit parabolam de Phariseo, & Publicano: *Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant. Quod enim confidentes in se stultorum albo inferendi sunt, alibi clarè asserit sacer codex Proverb. 28. v. 26. Qui confidit in corde suo, stultus est. Verùm quisnam est ille, qui confidit in corde suo? Lyranus & Hugo censent esse eum, qui confidit in sapientiâ suâ, adeoque sacrum textum voluisse dicere: Qui fastu tumens præfidit Sapientiæ suæ, hic stultus est juxta illud Proverb. cap. 26. v. 12. Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit insipiens.* Jansenius per Cor accipit cordis judicium, & consilium, & dicit Spiritum Sanctum per memorata verba dicere voluisse:

Qui confidit in consiliis, & cogitationibus cordis sui, ita ut ea sequatur in omnibus actionibus suis, nullius quærens sententiam, sed suo innixus judicio, talis stultus est, & per suam stultitiam, in multa incidet pericula & mala. Qui autem ejusmodi sunt, tant magis sunt infelices, quanto minorem habent spem, obtinendi unquam veram sapientiam, ita dicente Sancto Gregorio Papâ lib. 13. Moral. cap. 14. propè finem: *Ad veram sapientiam venire non possunt, qui falsæ sapientiæ fiduciâ decipiuntur.* Ut tamen aliquod attentem ad curandum ipsos remedium, in præfenti discursu declarabo, nullam prudentiam hominum absque providentiâ Dei, sua in opus deducere posse consilia; Deumque illam sapius exponere confusio, ut magis suam resplendere faciat gloriam, adeoque carpendum nihil nobis esse in divinæ providentiæ regimine, quamvis rationes ignoremus, quare hoc vel illud faciat. Consult. 16. Art. 3. & 4.

Dominicâ

Index Concionatorius.

Dominicâ 11. post Pentecosten.

T H E M A.

Et admirabantur dicentes: Benè omnia fecit. Marc. 7. v. 36.

Synopsis Concionis.

QUOD dixerunt in hodierno Evangelio turbæ, ac populi, videntes Salvatorem nostrum sanasse surdum & mutum: *Benè omnia fecit*; id jam olim de Deo omnium rerum Creatore enuntiavit sacer Chronographus, Moyses inquam. Gen. 1. v. 31. ita nobis exaratum relinquens: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*: adeoque & rectè ipsius encomio applicari potest Evangelicum nostrum effatum; *Benè omnia fecit*; nempe in creatione mundi, & omnium eorum, quæ in mundo sunt. Et quomodo non omnia benè, & omnia bona faceret Deus, qui ipsissima est bonitas, quæ præ omnibus aliis attributis, & perfectionibus divinis ipsi est essentialis, ita dicente S. Joanne Damasceno lib. 3. paral. cap. 100. sub fine: *Ante omnia, quæ in Deo considerantur, essentialis ejus bonitas incedit.* Ex quo rectè concludit S. Hieronymus tom. 1. Epist. 25. ad Paulam ante med. *Bonus est Deus, & omnia, quæ bonus facit, bona sint, necesse est.* Non solum autem in hac mundi creatione mirificè elucet summa Dei bonitas, verùm etiam infinita ipsius tum potentia, tum sapientia; quod non obscurè insinuare voluit melli-

fluus S. Bernardus Serm. 3. de Pentecoste ita loquens: *Tria in magno hujus mundi opere cogitare debemus, videlicet, quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus.* Et in *Esse* quidem rerum, inestimabilis potentia commendatur; quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sint creata. Sanè in modo ipso sapientia singularis elucet, quod hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissime sint collocata. Si verò, ad quid sit factus, mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratis quosque multitudine, & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissime siquidem ex nihilo omnia, sapientissime pulchra, benignissime utilia sunt creata. Eodem ferè sensu, paululum immutatis verbis, loquitur S. Augustinus in Sententiis Sent. 141. *Tria maxime nobis scienda de conditione creature oportuit intimari: quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit.* Dixit Deus, *Fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem, quod esset bona.* Nec auctor excellentior est Deo, nec ars efficacior est Dei Verbo, nec causa melior est, quam ut bonum creetur à bono. Hanc Dei bo-

Aaa aaa 2 nita

Index Concionatorius.

nitatem cum potentia, & sapientia i suis conjunctam, ut tanto melius inficiamus, tantoque magis in amore i suis accendamus, in presenti discursu declarabo, Deum omnia bene fecisse, ædificando totum

hoc universum è quinque nihilis; è nihilo loci, è nihilo materiae, è nihilo artificum, & instrumentorum, è nihilo temporis, è nihilo laboris. Consultat. 14. Art. 1.

Dominicà 12. post Pentecosten.

T H E M A.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Luc. 10. v. 27.

Synopsis Concionis.

Insensibili caute duriores, & immani efferatorem tygride esse oportet eum, qui vicem non reddit, mutuumque amorem amanti non reendit. Nonne enim inter homines ratione præditos, & amoris capaces pro indubitato habetur, quod illex, & magnus amoris sit amor? Id, quod sentit Seneca, ac luculentis expressit verbis Epist. 7. *Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herbâ sine ullius venefica carmine: si vis amari, ama.* Hoc insinuare quoque voluit S. Augustinus de Catechizandis Rudibus cap. 4. *propè initium: Nulla est major ad amorem invitatio, quam prevenire amando: Et nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit & rependere.* Amore nos homines infinito complecti, & à nobis vicissim amari, nisi Deus statuisset, nunquam ad imaginem, & similitudinem suam, luteum illud, & fragile figmentum contidisset. Et hanc ob rem benedictus Pererius in-

ter eas causas, quibus motum existimat Deum, ut hominem conderet ad imaginem, & similitudinem suam, hanc ordine quartam producit lib. 4. in Genes. digressionem morali post quæst. 8. *Quemadmodum quia nullum animalium inveniebatur simile Adæ, cum quo Societatem, & amicitiam, & familiaritatem habere posset, creavit Deus Evam, tanquam ejus sociam: ita creatis rebus omnibus corporeis, cum nulla esset Dei similis, & cum quâ Deus Societatem, & familiaritatem inire posset, fecit hominem sui similem, ut esset, quem Deus amaret, & à quo vicissim amaretur amore amicitia.* Ut enim Aristoteles tradit lib. 8. moral. c. 9. Similitudo est causa amoris. Et Eticæ melioris Magister Syracides Eccl. 13. v. 18. *Omne animal diligit simile sibi: sic omnis homo proximum sibi: omnis caro ad similem sibi conjungetur, & omnis homo simili sui sociabitur: Quod etiam circa amorem Dei ipsi observârunt Ethnici, inter quos Six-*

tus

Index Concionatorius.

etus Philosophus sentent. 422. dixit.
*Non amabis Dominum Deum, nisi
habueris in te aliquid simile Dei.*
Jam est quaestio, an amor noster erga
Deum eo usque excrecere possit,
ut sit similis amoris Dei erga nos;
id est, an ita Deum amare possimus,

sicut ipse amat nos: resolutio nostra
erit, quod amor creaturae erga Deum
comparari neutiquam poterit amoris
Creatoris erga illam, & hoc nec ex
parte principii, nec ex parte objecti.
Consult. 25. Art. 1. & 3.

Dominica 13. post Pentecosten.

T H E M A.

Et hic erat Samaritanus. Luc. 17. v. 16.

Synopsis Concionis.

NON absque causa comparavit se
ipsum Gallinae Salvator noster,
dum Matth. 23. v. 37. ita alloquitur
habitatores Civitatis Jerusalem: *Je-
rusalem, Jerusalem, quae occidis Pro-
phetas, qui ad te missi sunt: Quo-
ties volui congregare filios tuos,
quemadmodum Gallina congregat
pulos suos sub alas, & noluisti?* Com-
parat hic Christus se, suumque amo-
rem, providentiam, & sollicitudi-
nem salvandi Judaeos Gallinae pul-
los suos sub alas fovendi; quia gallinae
prae aliis avibus ferventi amore di-
ligunt pullos suos, & eximiam circa
eos habent providentiam, & prote-
ctionem. Egregie hanc similitudi-
nem applicat custodiae, & amoris Dei
erga nos: Augustinus in Psalm. 90.
*Si Gallina inquit, protegit pullos
suos sub alas, quanto magis tu sub
alis Dei tutus eris, & adversus dia-
bolum, & Angelos ejus? Gallinam
cognoscimus in infirmitate vocis,
& in relaxatione plumarum, tota*

mutatur in foetu pullorum, quia il-
li infirmi sunt, infirmam sese facit:
Quia ergo & nos infirmi eramus,
infirmam se fecit Sapientia Dei, *quia
verbum caro factum est, & habita-
vit in nobis, ut sub alas ejus spere-
mus.* Inter alias laudabiles proprie-
tates etiam ex hac haud leviter com-
mendatur, cujus mentionem facit
Auctor operis imperfecti apud Cor-
nelium in cap. 23. Matth. Gallina ha-
bens pullos, non solum suos cale-
facit, sed etiam cujusque volatilis
filios, exclusos a se, diligit quasi
suos: Unde & lemma ipsi appositum.
Et fovet Extraneos. Ejusmodi Gal-
linam in hodierno Evangelio sese ex-
hibuit Salvator noster: Siquidem
cum accessissent ad ipsum decem
leprosi miseris ipsorum, sanavit ad-
unum omnes, adeoque velut Galli-
nae charitate sua ipsos fovit, ac in-
tegrae incolumitati restituit: Inter
hos novem erant Judaei, & unus Sa-
maritanus; Judaeos fovit tanquam

AAA AAA 3 PRO.

Index Concionatorius.

proprios suos pullos, & cultui veri Numinis addictos; Non exclusit autem Samaritanum; qui extraneus erat, alienus & abhorrens à Judæis, ac Schismaticus, Exclusus gentem, ac Religionem Judaicam; unde & ipse Salvator noster quæsit: *Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Sed mirum videri non debet, quod inter alios, & hunc Samaritanum sanare voluerit; Et quidem eam ob causam, quia Samaritanus erat. Quod est Samaritanus? Samaritanus idem est quod Custos; Ob similitudinem erus tum Nominis, tum officii voluit ipsum sanare, quia similitudo & amoris, & beneficiorum est causa. Quid autem Christus nomen Samaritani non refugiat, ex hoc patet, quod cum Judæi ipsi objicerent Joan. 8. v. 48. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes;* dæmonium se habere nega-

vit haud negans Samaritanum se esse. Hanc causam, non quidem literalem, sed mysticam affert S. Gregorius homil. 18. *Samaritanus, inquit, interpretatur Custos, & ipse veraciter Custos est, de quo Psalmista ait: Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilans, qui custodiunt eam:* Respondere noluit Dominus: *Samaritanus non sum: sed ego dæmonium non habeo. Duo quippe ei illata fuerant: unum negavit, aliud tacendo consensit. Custos namque humani generis, & si Samaritanum se non esse diceret, esse se Custodem negaret.* Cum igitur Christus sit Custos noster, consequenter non est momentum, quo nos non custodiat, & in esse nostro nos conservet. Quantum hoc sit custodiæ, & nunquam ab ipso intermisit conservacionis beneficium, in præfenti Sermone aliquantò fufius declarabo, Consult. 15. Art. 4.

Dominicâ 14. post Pentecosten.

T H E M A.

Nonne Corpus plus est, quàm vestimentum? Matth. 6. v. 25.

Synopsis Concionis.

Oportet me hodie agere Advocatum Corporis nostri, cum & Salvatore nostrum ipsius causam hodie suscepisse videam, dum primas ipsi attribuit præ omni vestimento, vel ex auro, holoserico, aut murice confecto: *Nonne Corpus, quàm vestimentum?* Eo quod Corpus juxta mentem S. Cyrilli Jeroso-

lymitani, *vestis sit, & stola ipsius anima.* Catechesi. 4. de corpore prope medium. Verùm vix non terreor ab adversariorum Corpus oppugnantium multitudine. Audiamus illorum sensa. Primus accedit sæculi nostri Thaumaturgus S. Antonius de Paduâ: Hic explicans Ethymologiam nominis Serm. Domin. 11. post

Index Concionatorius.

post Trinit. inquit: *Corpus à corrue-
do dictum est; vel quasi cordis pus;
id est, putredo, vel quod corruptum
pereat.* Antonio Paduano mox al-
ter se adiungit S. Antonius Abbas,
qui Epist. 2. ad Fratres ita loquitur:
*Vas istud, in quo sumus inhabitantes,
domus est plena bellis:* Duos An-
tonios è vestigio sequitur S. Anto-
ninus Florentinorum Archi Episcopus,
sic suam exponens sententiam
part. 2. tit. 4. cap. 6. sub finem. *Quan-
tò fortius est Corpus, tantò fortio-
rem quis inimicum habet, cum quo præ-
liatur.* Ad stipulatur hinc ægregiè
S. Augustinus de se ipso loquens in sa-
lutaribus documentis cap. 65. post
medium. *Nullum priorem patior ho-
stem, quam Corpus meum; in quo
habito.* Mellifluè de tabifluo corpo-
re loquitur S. Bernardus diversis in
locis; & quidem Serm. 46. de parvis
Serm. inquit *sterquilinum vile cus-
todit, qui corpus suum custodit.* In
meditationibus cap. 14. ait: *Cum
corpus impinguo, hostem adversus
me nutrio.* ibidem cap. 3. in princi-
pio asserit: *si consideres diligenter,
quid per os & nares, cætero: que cor-
poris meatus egrediatur, vilius ster-
quilinum non vidisti. Sinè spiritu
corpus est terra & cinis,* inquit Cle-
mens Alex. lib. 3. Stromatum circa
medium. Glossa decret. apud Gratia-
num in decretis fol. 389. Corpus no-
strum intitulat jumentum: *Jumento
nostro, inquit, adhibere debemus sac-
cum; paleam & flagellum: saccum,
id est, opera penitentiæ; paleam, id*

*est, necessaria ad vitæ sustentionem;
flagellum, ut castigemus, si excesserit.* Infra omnia despicatissima quæ-
que deprimit Corpus nostrum. Car-
dinalis Bellarminus asseverans, cor-
pus nostrum esse Instrumentum dia-
boli Conc. 23. Dominic. 1. Quadra-
ges. ubi inquit: *Diabolus utitur Cor-
pore tanquam instrumento ad de-
bellandam animam; Et quò corpus
magis viget, ac floret, eò est aptius
instrumentum diaboli.* Christianis
Doctoribus, nè longior sim, accedat
unicus è Paganis celeberrimus Ethic-
es Magister Seneca; qui Epist. 65.
post medium ita loquitur: *Corpus
animi pondus; ac pœna est, premente
illo urgetur; in vinculis est; & pau-
lo post: Major sum, & ad majora ge-
nitus, quam ut mancipium sim mei
Corporis, quod quidem non aliter as-
picio, quam ut vinculum libertati
meæ circumdatum.* Omnes hi non
immeritò me absterrent, nè Cor-
poris hodie suscipèrem causam, ve-
rùm ut Exemplo Salvatoris in ho-
dierno quoque Evangelio ipsius cau-
sam suscipientis inhæream, absterre-
ri me non patiar, sed Advocatum
simul agam & Panegyristam, in præ-
senti discursu duo explanaturus. 1.
quod tanta sit præstantia Corporis
humani, ut non tantùm attollat ho-
minem super omnia animalia, sed
etiam supra Angelos. 2. quod largia-
tur ipsi speciale commercium cum
Deo, qui purissimus est Spiritus. Con-
sule. 15. Artic. 2.

Eadem

Index Concionatorius.

Eâdem Dominicâ.

T H E M A.

Nonne anima plus est, quàm esca? Matth. 6. v. 25.

Synopsis Concionis.

NON inconcinnè dixit, qui dixit: Hominem, dum constat ex corpore, & animâ, constare ex luto, & igne. Hoc insinuare voluerunt Poetæ, dum finxerunt, Prometheum efformâs se Simulacra, & statuas hominum ex luto; quæ cum carere videret omni motu, ac sensu, conscendisse in cœlum, arreptam ferulam radiis admovisse solaribus, inde rapuisse flammam eam in ferras delatas luteis suis inferuisse imaginib⁹, unde tantus illis accesserit vigor, ut protinus se cœperint movere, & ipsum artificem haud levi defixerint stupore; hinc ejusmodi simulacris hâc ratione ab ipso efformatis adjectum est lemma: *Luto componit, & igne.* Quod apud Poëtâs est figmentum, apud Christianos est ipsissima veritas: Quis enim nescit, è quâ materiâ formaverit divinus artifex ab initio hominem? Corpus ipsius quid est aliud, nisi lutum, & limus? Ita sacer loquitur textus de formatione Corporis humani Genes 2. v. 7. *formavit Dominus Deus hominem de limo terra;* quod textus Hebraicus magis luculentis exponit verbis, dum legit; *Fecit Deus hominem pulverem terra;* & hoc ipso confirmatur Gen. 3. dum in hominem tanquam legis prævaricatorem DEUS pronuntiat sententiam: *pulvis es,*

& in pulverem reverteris. Sacris literis adstipulantur Patres, & Doctores. Antiquissimus Tertullianus lib. de resurrect. c. 16. inquit. *limus titulo hominis incisus.* S. Gregorius Nissenus affirmat, hominem aliud non esse, nisi *statuam luteam.* & Agapitus Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ in eximiis literis, quas exaravit ad Justinianum Imperatorem post coronationem ipsius, ut daret ipsi monita, juxta quæ velut Princeps Christianus imperaret, inter alia inservit, ne oblivis ceretur, summos monarchas æquè è cinere, & luto suam trahere originem, quàm homines plebejos, ita eundem admonuit; *limum & ipsi habent generis sui auctorem, & progenitorem.* Quantum ad animam, non immeritò dixerim, ipsam esse ignem, omnesque animas ratione præditas igneum in se habere vigorem, juxta illud, quod jam olim cecinit Virgilius 6. *Æneidos: igneus est illis vigor, & celestis origo.* De igne dicit sacer codex Proverb. 30. v. 16. ignis nunquam dicit, sufficit; ejusmodi ignis nostra est anima, quamdiu hæc in terris agit, nunquam dicet, & ipsa, sufficit, cum nihil omninò in terris sit, quod satiare ipsam, aut implere possit: hoc est, quod dicere vult S. Bernardus Serm. *Ecce nos reliquimus*

Index Concionatorius.

mus omnia: ad imaginem Dei facta anima rationalis, ceteris omnibus occupari potest, repleri non potest; capacem Dei, quidquid Deo minus est, non implebit, cui rectissime ad stipulatur S. Augustinus in soliloq. c. 30. Cum anima creaturam desiderat, continuam famem habet, quia licet, quod de creaturis desiderat, adipiscitur, vacua tamen remanet; quia nihil est, quod eam impleat, nisi tu Domine, ad cuius imaginem est creata; adeoque verissime dici potest, quod anima nostra ignis sit, qui nunquam dicit, sufficit. Nam ut ignis est Elementorum purissimum, subtilissimum, simplicissimum, actuosissimum, sic anima hominis purissima est, ab omni concretionem, & compositione terrenam remota, simplex, vivida, mobilis, & instar

flammæ sursum enitens ad Conditorum suum, unde profecta est, Quæ anima, cum præcipua sit hominis portio, & in hodierno Evangelio ab ipso Salvatore nostro commendetur hisce verbis: *nonne anima plus est, quam esca?* quibus verbis ipsius valorem, ac pretium nobis vult insinuare, quod tantum est, ut S. Joannes Chrysostomus dicere non vereatur hom. 3. super. 1. ad Cor. nihil est, quod anime possit æquiparari, ne universus quidem mundus: hinc ut ejus præstantiam tantò melius agnoscamus, in præsentis discursu tria enucleabo. 1. Ipsam absque comparatione nobiliorem esse corpore. 2. Ipsam extractam esse è regione cordis Dei. 3. ipsam specialem habere conjunctionem cum Spiritu Sancto. Consult. 15. Art. 3.

Dominicâ 15. post Pentecosten.

THEMA.

Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naim. Luc. 7. v. 11.

Synopsis Concionis.

Quid pulchritudini hodie cum morte, quid morti cum pulchritudine? pulchritudo, & mors hodie obviaverunt sibi: ubi? in civitate Naim. Erat Naim civitas Galileæ, duobus milliariis distans à monte Thabor, ut ait S. Hieronymus, quam torrens Cison alluit, dicta à pulchritudine Naim enim hebraicè idem est, quod pulchra, decora, jucunda, delectabilis; & in hac civitate pulchrâ, de-

corâ, jucundâ, delectabili, invenio hodie mortem, turpem, deformem, mœstam, terribilem: *Ecce enim defunctus efferebatur filius unicus matris sue:* erat utique adolescens hic pulcher aspectu, decorus formâ, jucundus juventutis flore, delectabilis amantissimæ Matri suæ, cui velus viduæ unica spes erat, solatium unicum: sed pulchritudinem demersit mors, decorem subduxit tumu-

Bbb bbb
lus,

Index Concionatorius.

lus, jucunditatem fugavit mœstitia, delectationem procul abegerunt funera. Verùm hæc omnia redierunt, ubi nimirum, postquam pulchritudo obviavit morti, ipsa pulchritudo obviavit pulchritudini. Sed quando hoc factum est? quando nimirum Jesus ibat in civitatem Naim; Jesus pulcherrimus, imò ipsa pulchritudo, in civitatem, quæ etiam juxta sui originem nominis ostendit, & exprimit pulchritudinem. Apage igitur hodie cum morte, quæ inimica est pulchritudinis, quæque juxta effatum S. Joannis Chryostomi homil. 28. super Genes: *omnem corporis corrumpit pulchritudinem.* Non nisi in pulchritudinem hodie intendamus oculos; & in illam quidem pulchritudinem, de qua Innocentius summus Christi in terris Vicarius, hujus nominis tertius ita inquit Serm. 2. in festo omnium Sanctorum: *Delectaris in pulchritudine: si Deum vides, habes, quod cupis, quia Deus*

est perfectissima pulchritudo, in quem desiderant Angeli prospicere, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur: in illam pulchritudinem, de qua S. Augustinus Serm. 4. fer. 2. Paschæ. Interroga Pulchritudinem terra, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati, & diffusi aëris, interroga pulchritudinem cæli: pulchritudo eorum, confessio eorum est: ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher in se ipso: & brevius alibi lib. 13. Confess. cap. 20. ubi Deum sic alloquitur: pulchra sunt omnia faciente te, & ecce tu inenarrabiliter pulchrior, qui fecisti omnia. Ut igitur hodiernâ die ex occasione civitatis Naim, quæ pulchra dicitur, in amore pulchritudinis Dei accendamus, pulchritudinem ipsius rudissimè delineatam ostendam vobis hodie, tum in creaturis visibilibus, tum vel maximè in invisibilibus, & spiritualibus, Consultat. 24. Art. 1. & 2.

Dominicâ 16. post Pentecosten.

THEMA.

Si licet Sabbatho curare. Luc. 14. v. 3.

Synopsis Concionis.

Quæritur inter Theologos & Juris Consultos, an Princeps, seu Legislatoꝝ teneatur suis legibus, quas ipse condidit, & respondet S. Thomas. q. 96. Art. 5. & 3. Suarez & alii, non teneri illum quidem, quoad vim, coactivam, & pœnam, teneri

autem quoad vim directivam, ut se tanquam membrum caput conformet. Jam summus omnium Legislatoꝝ Deus, condidit legem, ut sanctificetur Sabbathum, & abstinenceatur in eo ab omni opere Exod. 20. v. 8. *Memento ut diem Sabbathi sanctifices;*
sex.

Index Concionatorius.

*Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est; non facies omne opus in eo: an & ipse huic legi se conformavit? imò, & quidem optimè, in primâ mundi creatione; siquidem cum per sex omninò dies laborâisset impigrè, in creaturarum, & quidem semper novarum, ac novarum productione, die septimo, qui dies est Sabbathi, requievit, ita attestatur sacer codex Gen. 2. *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum, complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrârat; & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum.* Verùm an posthæc cessavit omnino operari Deus? neuti-quam, sed perrexit semper operari, & adhuc operatur hoc dicere voluit Salvator noster, dum Judæis ipsum persequentibus, eò quod curaret in Sabbatho, ita respondit: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* in quæ verba S. Augustinus lib. 4. de Genesi ad litteram*

cap. 12. ita loquitur. *Pater operatur, & creatura præbens congruam gubernationem, & apud se habens aternam tranquillitatem: Creatoris namque potentia, & virtus, causa subsistendi est omni creatura: quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret.* Ex quo patet, quod Deus continuò usque modò operetur, absque eo, quod Sabbathum violet, scilicet mundum, & omnia, quæ in eo sunt, gubernando; cælos movendo, unam rem ex aliâ producendo, viventia alendo &c. quæ cum opera sint benefica, liberalia, pia, divina, etiam in Sabbatho sunt licita ad quæ opera, cum meritò revocetur, quod Deus ad omnia, quæcunque agere, & operari voluerimus, concurrat, in præsentis discursu declarabo, quàm mirabilem bonitatem in Deo hic concursus demonstrat nobis, quamque pulchra exin pro salute, & perfectione nostrâ haurire possimus documenta. Consult. 15. Art. 5.

Dominicâ 17. post Pentecosten.

T H E M A.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22.

v. 37.

Synopsis Concionis.

Quidquid præter Deum, aut non propter Deum adamamus, id velut idolum, & gentium simula-

rum adoramus. Hoc iniquitatis mysterium aperuit nobis Plato, dum docuit, quod inordinatus amor pri-

Bbb bbb 2 mus

Index Concinatorious.

mus extiterit pictor, primusque in mundo sculptor, isque docuerit homines artem sculpendi primas statuas, & efformandi primas imagines rerum amatarum, *licentiâ artis transfigurante*, uti loquitur Tertullianus Apol. cap. 12. & modum inveniēte transfigurandi lapides, & metalla, & effingendi è frusto ligni, vel marmoris imaginem alicujus Dei, vel cujusdam Deæ. Observanda hic est magna differentia inter vitiosum hunc amorem, & alias inordinatas cordis humani passiones; hæ contentæ sunt imitari solummodò aliquam perfectionem DEI, & trahere ex in vitiosas quasdam, & imperfectas delineationes, *tenebrosâ omnipotentia imagine*, dicit S. Augustinus lib. 2. Confess. cap. 6. superbia, exempli gratiâ, conatur imitari per fastû suum magnificentiam, & majestatem essentiæ divinæ, avaritia vult imitari per infatiabile terrestrium honorum desiderium infinitos thesauros, & inexhaustas divitias divinitatis: ira, & vindicta imitari volunt per vehementes suos impetus, ac breves furores, severitatem ipsius justitiæ: acedia vult imitari per suum otium, profundam ipsius tranquillitatem, & beatitudinem ipsius æternam: *tandem perversè te imitantur omnes, qui longè se à te faciunt, & extollunt se adversum te.* Sed quantum ad amorem, ipse ulterius adhuc procedit, ipse sublimius suam attollit temeritatem, non contentus ipse

imitari Deum in suis perfectionibus, conatur ipsum imitari in propriâ suâ personâ, efformando idolum quoddam, ut divinos ipsi exhibeat honores. Hæc est veritas, quam ipsemet Spiritus Sanctus nos edocuit per calamum Salomonis: hic Regum omnium sapientissimus, loquens de origine idololatriæ, attribuit illam amori: *Acerbo luctu*, inquit Sapient. 14. v. 15. *dolens Pater citò sibi rapti filii fecit imaginem, & tanquam Deum colere cepit, & constituit inter servos sacra, & sacrificia:* Pater quidem vult dicere, inconsolabiliter afflictus de præmaturâ morte sui filii, fuit primus inventor idolorum, siquidem amor ipsius, cum sufferre non posset, nisi maximo cum dolore, absentiam amati hujus filii, docuit ipsum artem sculpendi aliquam statuam, & ex eâ efformandi quandam imaginem, ita ut hic Pater mox factus idololatra, quamprimum sculptor, erexit huic idolo quoddam altare, effecerit è domo suâ templum, constituerit omnes suos servos, Sacrificolas & Sacerdotes, instituerit festa & Solemnitates, ad honorandum memoriam hujus filii, adoleverit incensâ ad pedes hujus idoli, ipsique obtulerit sacrificia, velut cuidam divinitati: *& sic affectui deservientes homines incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt:* hæc ratione hi servi, redentes se servos inordinati amoris Dominorum suorum, contulerunt incommunicabile nomen Dei idolis è ligno

Index Concionatorius.

è ligno & lapide, ipsisque exhibuerunt supremum cultum latriæ, non nisi debitum Deo soli. Ne hanc amoris idololatriam incurramus, eximio hodiernum Evangelium nos munit antidoto, dum manifestis verbis nobis præcipit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, hoc enim præceptum, si observavimus, aver-

temus amorem nostrum ab omni re aliâ, illumque attribuemus Deo soli. Ut ad hoc faciendum extimulemur, ostendam in præsentî sermone inæstimabiles divitiæ animæ amantis Deum, simulque docebo excellens exercitium perfectè amandi Deum. Consult. 25. Art. 3. & 4.

Dominicâ 18. post Pentecosten.

T H E M A.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9.

Synopsis Concionis.

Stupenda omninò est Dei erga peccatores benignitas, dum eos non dedignatur appellare filios, qui filiorum se nomine fecerunt indignos. Ita legimus in diversis Scripturæ locis ipsos filios nuncupari ab ipso: ita Isaia. 30. v. 1. *Va filii desertores*, dicit Dominus; & paulò inferius: *populus ad iracundiam provocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem.* Jeremiæ 3. v. 14. alloquitur illos: *Convertimini filii revertentes*, id est, ut Cornelius hic exponit, *recedentes à me; Septuaginta vertunt; filii apostata; Vatablus, filii rebelles; Chaldaeus, filii, qui vos obfirmatis, ne convertamini; Theodotion, filii, qui recessistis; & subdit; etiam recedentes nominat filios propter ienffabilem suam bonitatem.* Hanc ineffabilem Dei Patris sui benignitatem insinuare nobis voluit Salvator noster in col-

loquio illo habito Patris Abrahami (sub cuius Schemate, & imagine intelligebat divinum Patrem suum) cum divite epulone, quem licet à se condemnatum Filii insignire volebat nomine Luc. 6. v. 25. *Fili, inquit, recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ.* ubi D. Joan. Chrysof. homil. 2. de Lazaro: *vide inquit, humanitatem: non dixit: inhumane, crudelis, sceleratissime; sed fili.* Eandem benevolentiam admiratus D. Petrus Chrysologus. Serm. 123. *omnia, inquit, pietas; adhuc vocat filium, quam degenerasse propria crudelitate respicit. O singularis bonitas! adhuc vocat filium, quem videt inferni vernaculam, pœnarum sobolem, extremum mancipium jam gehennæ.* Si ergo Deus peccatores in actuali peccatorum statu adhuc existentes, filiorum compellare dignatus est nomine, mirum non est, quod benignissimus

Bbb bbb 3

Index Concionatorius.

nissimus Salvator noster in hodierno Evangelio, nomine eodem compellet paralyticum, utpote cui juxta mentem Cornelii per inspirationem jam contrito, & ad remissionem, justificationemque disposito, jam remissa erant peccata: *Confide filii; remittuntur tibi peccata tua*, id est, juxta Hebræam enallagen temporis, jam remissa sunt; nam *verè Filius Dei est*, ait Haymo, *cui dimittuntur peccata*. *O mira humilitas*; exclamat hinc S. Hieronymus, *despectum, & debilem, totis membrorum compagibus dissolutum filium vocat, quem Sacerdotes non dignabantur*

atingere. Non invidemus paralytico hunc honorem, eodem & nos potimur in divinâ gratiâ constitutum ipso: hoc luculenter nobis asseverat S. Joannes in epist. 1. c. 3. v. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus: Charissimi nunc filii Dei sumus; & nondum apparuit, quid erimus*. Ut igitur & nos ad maximam hanc filiorum Dei dignitatem aspiremus, in præsentî sermone declarabo, quâ ratione Dei filii simus, quàmque vehementer desideret Deus, ut simus ipsius Filii. Consult. 1. Art. 5. & 6.

Dominicâ 19. post Pentecosten.

THEMA.

Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matth. 22. v. 14.

Synopsis Concionis.

FAteor, terribilis omninò res est, quæ per ultima thematis nostri verba, *pauci verò electi*; proponitur in hodierno Evangelio nobis; paucitas nimirum prædestinatorum; fateor terribilius nihil esse in mundo, quàm prædestinationis decretum, quod ab æterno formavit Deus; siquidem mysterium hoc tam est absconditum omni sapientiæ humanæ, ut, sive decretum hoc fundetur in præscientiâ nostrorum meritorum, uti credunt aliqui Theologi, sive fundetur in beneplacito Dei, uti de-

fendunt alii, verum semper sit, illud impenetrabile esse, ac in comprehensibile, & absque revelatione Patris luminum, cognitionem infallibilem, & judicium certum de illo haberi non posse. Dicite enim quæso mihi, quis Angelorum vel hominum vocatus fuerit ad consilium æternum Dei, quando Providentia ipsius ex æquissimis, occultissimis tamen rationibus, ipsique soli cognitis formavit decretum prædestinationis circa Abelem, & illud reprobationis circa Cainum; decretum prædestinationis circa Davidem, & il-

lud

Index Concionatorius.

illud reprobationis circa Saulem; decretum prædestinationis circa Moysen, & illud reprobationis circa Pharaonem, decretum prædestinationis circa Petrum, & illud reprobationis circa Judam. Ecce tibi librum clausum, & signatum Apocalypseos, qui aperiri non potest nisi ab agno Apoc. 5. Verum est, hæreticos nostri temporis, ut se liberarent ab angustiis, & sedarent inquietudines, quibus timor hujus mysterii ipsorum torset, & vexavit animos, eò temeritatis processisse, ut defenderent, omnes fideles certos esse debere certitudine fidei, quod omnes sint ex numero prædestinatorum, & infallibile quoddam jus habeant ad gloriã. Et hæc est magna & periculosa illusio, quã Calvinus, Kemnitius, & alii Apostatæ Ecclesiæ deceperunt simplicitatem populorum, & bonam fidem ignorantium, quãque rapuerunt illos in dissolutionem morum, aut animi præsumptionem, blandiendo illis falsã quãdam; & vanã spe, quod, cum habeant, uti Calvinus dicit, *pignus hereditatis*, de quo loquitur Apostolus Ephes. 1. fides & confidentia ipsorum securos, & certos illos faciat de prædestinatione suã. Sed dicere possum hæc occasione, quod Adversarii nostri similes sint populis illis Numidiæ, de quibus loquitur Tacitus ann. 2. *qui spe victoria inducti sunt, ut vincerentur*; idem, inquam, dicere possum de hisce

religionis desertoribus: quod ipsi met auctores sint perditionis suæ, ob præsumptuosam spem, & confidentiam, quam habent de prædestinatione suã. Et hanc ob rationem Patres Concilii Tridentini pronuntiarunt Anathema contra vanam hanc confidentiam, & arrogantem hæreticorum præsumptionem, & consequenter volentes prospicere salutem fidelium, illosque retinere intra terminos modestiæ, & timoris, quo profequi debent hoc mysterium, dant illis salutare hoc monitum, desumptum ex verbis S. Augustini lib. de corrept. & gratiã c. 13. *Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divine prædestinationis mysterio usque adeò presumere debet, ut certò statuatur, se omninò esse de numero prædestinatorum*: maxime cum horum parvus sit numerus juxta ineffabile effatum Veritatis æternæ in hodierno Evangelio: *multi sunt vocati, pauci verd electi*; quorum sensum verborum ita explicare videtur S. Augustinus lib. 3. cont. Cresc. c. 66 *boni, verique Christiani, qui per seipso multi sunt, in comparatione malorum pauci sunt: sicut multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum*. Quid in re tam ambiguã, timoris inquam & spei plenã dicam, fermè nescio; dicam tamen, ut intra limites duorum horum affectuum nos contineamus, neminem ob incertitudinem

præ-

Index Concionatorius.

Prædestinationis inquietum esse debere, eò quod certum sit, nos salvos fore, si velimus, quodque in hæc certitudine nos confirmare possimus, & debeamus exercitio bonorum operum. Consult. 17. per totam.

Dominicâ 20. post Pentecosten.

T H E M A.

Vade, filius tuus vivit. Joan. 4. v. 50.

Synopsis Concionis.

ORbari filii sive per viam sterilitatis, sive per viam mortis, maxima parentum est afflictio. Hinc dira imprecati volens propheta Oseas perverso Israël's populo, ita supplex Dominum precatur: *Da eis Domine vulvam sine liberis, & ubera arentia c. 9. v. 14.* acerbissima enim pœna inter Hebræos olim, imo inter cæteros quodque homines censebatur carere liberis, tum alias ob causas, quas brevitatis gratiâ omitto; tum præsertim, quia homines illius temporis, sicut minus de æternitate cogitabant, ita magis suæ memoriæ in terris conservandæ studebant, quod per filios consequi se posse sperabant. Unde si quâ ratione illis orbari contingebat, incredibiliter angebantur; quod facillè patebit Exemplis. Nam in primis Jobus lethales fortunæ ictus excepit omnes immotus, quasi homo adamantinus, uti Origines ipsum appellavit; ubi tamen filiorum mortem audivit: quasi loco stare non posset præ dolore: *surrexit, inquit textus, & scidit vestimenta sua, & tonsò capite corruens in terram adoravit.* Job. 1. v. 20. in quem locum D. Basiliius citatus in catena Græcâ:

*Fustus, inquit, quasi scopulus consistebat ac vim tempestatis excipiens, fluctuum violentam incursionem redigebat in spumam, nihilque eorum, quæ contingerunt, dignum lacrymis existimabat: postquam verò nuntius venit, qui diceret, convivantes filios & filias, violento flatu, convivii domicilium irruisse: tunc communi sensu natura patefacto, vestem conscidit; ut eâ re propensa voluntatis suæ erga liberos significationem daret. Immensum præmiorum pondus olim Deus promisit Abrahamo, cum dixit: Gen. 15. v. 1. *Ego protector tuus, & merces magna nimis;* & tamen Abraham queribundus respondit: *Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis?* ibid. v. 2. quasi diceret, ut interpretatur Lipomanus: *multa quidem & magna promittis: maximum autem bonorum in hoc saculo, sine quo alio non sunt jucunda, mihi non das: filium scilicet de meo semine, mearum rerum heredem:* Ex quo satis superque patet, quantum doluerit Abraham, deesse sibi heredem, qui suum nomen, & gloriam ad posteros transfunderet. Cum ergo*

Index Concionatorius.

ergo tantus, tamque vehemens parentum in filios sit amor, tantamque pariat illis afflictionem orbari liberis, mirum omnino non est, quod memoratus in hodierno Evangelio Regulus tantâ sollicitudine nostrum accesserit Salvatorem, deprecaturus eundem pro filii lethaliter ægrotantis sanitate, ac salute, cum maximum propinquæ mortis jam immineret periculum, dicente Sacro textu: *incipiebat enim jam mori:* *cujus & supplex libellus tantæ erat efficaciz, ut meruerit audire à Salva-*

tore: Vade, filius tuus vivit. O terque, quaterque felicem Regulum? O terque quaterque felices & nos, si audire contingat nobis; vade, anima tua vivit: vivit non vitâ corporali, transitoriâ, naturali; sed vivit vitâ spirituali, vitâ gratiæ, vitâ Dei. Ut hâc vitâ spirituali, vitâ Dei vivere studeamus, in præsentî sermone declarabo, quod anima vivens vitâ Dei incipiat jam esse beata in vitâ præsentî, quodque facillimè locupletare se possit bonis vitæ æternæ. Consult. 29. Art. 4.

Dominicâ 21. post Pentecosten.

T H E M A.

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matth. 18. v. 29.

Synopsis Concionis.

Quod per hodiernum Evangelicum Regem, qui rationem ponere voluit cum servis suis, intelligatur Deus, qui Rex Regum est, & Dominus dominantium, & per servum debitorem representetur peccator, communis Patrum, & Interpretum est opinio. Felix debitor, felix peccator, qui nactus est creditorem tam benignum, ut à Sacra Scripturâ per Antonomasiâ appelletur *Deus patientia.* Rom. 15. quâ etiam extimulatus supplicem illi libellum perrexit, hujus tenoris: *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi:* *cujus & felicem obtinuit successum,* cum non tantum patientiam habuerit, quoad omnia illi redderet, sed, ut sacer textus ait, omne debi-

tum dimiserit illi. Verum detestanda peccatorum est malitia, qui ex divinâ hâc bonitate; & patientiâ audaciam sibi sumunt ad peccandum; quod cum capere non possit S. Apostolus Paulus, ita Rom. 2. v. 4. peccatorem alloquitur. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis: ignorans, quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit;* id est, juxta explicationem Cornelii, adducere cupit, & conatur: quasi diceret: Cum Deum credas exorabilem; fingis ipsum contemptibilem? quid iniquius? quia ipse te patienter sustinet; tu illum irreverenter provocas? quid injustius? quia meritas in te pœnas ille suspendit; tu indignas in eum injurias ef-

Ccc ccc fun-

Index Concionatorius.

fundis? quid dementius? neque enim divina patientia stimulus ad peccandum esse debet, sed frœnum ad non peccandum. Verùm attende, quisquis es talis, quisquis ita Dei abuteris patientiã; ferio revolvam animo, quod immediatè sequitur in præfato S. Apostoli Pauli effato: *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram*: quæ verba ita exponit S. Bernardus Serm. de triplici misericord. *Thesaurizas tibi thesauros ira, pro prorogatis thesauris misericordie, quos contemnis, & evacuas in te misericordiam Dei*; Et hæc ratione fit, ut verificetur in te tritum illud adagium: *patientia lasa fit furor*. Hoc

egregiã similitudine explicat S. Hieronymus apud Cornel. in Epistola. 2. Rom. v. 5. *sicut, qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri, ut fugiat; qui si fugere nolit, tanto fortius sagittã emissã configitur, quanto majori tempore arcus intentio fuit facta: sic Deus, qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem supplicii gravitate compensat*. Ne igitur & ineffabili hæc Dei patientiã abutamur, ad majus nostrum supplicium, in præfati sermone declarabo, continuum esse prodigium, quod patientia Dei ita supportet peccata hominum; magisque id esse effectum justitiæ, quàm misericordie Dei Consult. 21. Art. 3.

Dominicã 22. post Pentecosten.

T H E M A.

Cognitã autem Jesus nequitia eorum. Matth. 22. v. 17.

Synopsis Concionis.

Ostendit luculenter Salvator noster in hodierno Evangelio, verè se esse Deum, eo quod id egerit, quod uni ac soli proprium est Deo: quid egerit? cognovit occulta hostium suorum consilia, quæ in corde suo revolvebant, & exterius blando verborum obtegebant lenocinio: vide externa verborum blandimenta: *magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces; non enim respicis personam*: sed ecce arcana ipsorum consilia, quæ machinantur in corde: *Consilium inierunt, ut caperent eum in sermone*: Hæc

cognovit Jesus; id affirmante sacro textu: *cognitã autem Jesus nequitia eorum*; & per hoc, ut dixi, ostendit, se verum esse Deum, cum arcana cordium nulli nisi soli Deo competat cognoscere; juxta infallibile effatum sacri codicis. 2. Paral. 6. v. 30. *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum*; quæ nōsse omnino non potest, nisi per suam omniscientiam. Et hoc insinuare voluit P. Gamberus per Symbolum complurium florum, quos videre est, quod inter nocturnas umbras clausi non nisi sole effulgente explicentur, addito calicibus

Index Concionatorius.

licibus ipsorum clausis hoc lemmate ex Virgilio. 1. Æneid. *Ad solem sese pandent*; vel, ut alius adjunxit: *lux orta recludet*, de hâc occultorum scientiâ, quâ Deus penetrat cordis nostri intima, ita loquitur S. Hilarius in Matth. c. 10. *abstrusam voluntatis nostra conscientiam prodet, & qua nunc occulta existimantur, luce cognitionis publica deteget.* Ex hâc autem occultorum scientiâ at-

tollo hodie animum ad altitudinem illam, de quâ Sanctus Apostolus Paulus Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientia, & scientia Dei, quam investigabiles via ejus*; quam ut magis admiremur, veneremur, adoremus, paulisper in præsentî pro modulo nostro indagare libet, quàm admirabilis, & prodigiosa hâc Dei sit scientia. Consultat, 18. Artic. 3. & 4.

Dominicâ 23. post Pentecosten.

T H E M A.

Et deridebant eum. Matth. 9. v. 24.

Synopsis Concionis.

PARADOXUM mihi videtur effatum illud Senecæ libro de moribus ante mediam, quo felices pronuntiat illos, qui iridentur ab omnibus: *nondum es felix*, inquit, *si te turba non deriserit.* Contrarium sensisse videtur Job, qui ab ipso Deo in suis laboribus quodammodo irrideri, tam graviter ferebat, ut ipsam mortem præoptârit. Job. 9. v. 23. ubi inquit: *si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentium irideat*: quasi mallet occidi, quàm irrideri. Quærit Abulensis: cur Philistæi captum Samsonem nequaquam occiderint, sed oculis prius effossis ad molam asinariam relegârint, cum tamen ejus vitam maximè execrarentur? & respondet. q. 39. in lib. Judic. *quia non reputabant completam vindictam, si eum occiderent: ideo conati*

sunt accipere eum vivum ad illudendum ei: quasi multò acerbior illivideretur post tot calamitates irrisio quàm occisio: nec alia fuit Saulis de hâc re opinio. Hic enim, ne in extremâ suâ calamitate illudetur ab hoste, voluit interfici ab armigero suo. *Evagina*, inquit, *gladium tuum, & percutite me; ne veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi.* 1. Reg. 31. v. 4. cur quæso interfici maluit, quàm illudi? nisi quod interprete Abulensi ibid. quæst. 8. pati ludibria gravius erat Sauli, quàm mortem tolerare? nec immeritò: nam per mortem præteritorum laborum finem inveniret; per ludibria verò recrudescentibus plagis, quas acceperat, gravius pungeretur. Jam in hodierno Evangelio irrisioni quoque exponitur

Ccc ccc 2 ipsa

Index Concionatorius.

ipsa Sapiencia Patris æterni, benignissimus Salvator noster ex eo, quod dormire, & non mortuam assereret Reguli filiam, quamvis revera mortuam sciret ipsam. Haud dubium, quin irrisionem hanc utpote sibi admodum injuriosam tulerit ægerrimè: Verùm longè, & abs comparatione

fert ægrius, quod adhuc temporibus nostris irrideatur à Christianis. ast quinam sunt, qui tam insolens moliuntur facinus? declarabo id vobis in præsentis discursu, & dicam esse illos, qui peccant confisi de Dei misericordiâ; sed hos vicissim à Deo fore irridendos: Consult. 20. Art. 4.

Dominicâ 24. post Pentecosten.

T H E M A.

Virtutes cœlorum commovebuntur. Matth. 24. v. 29.

Synopsis Concionis.

DUOS esse Adventus Filii Dei in hunc mundum, nemo est, qui dubitet; primum quidem, qui jam factus est, quando Filius DEI assumptâ carne humanâ voluit mundum piissimâ suâ consecrare Nativitate in spelæo Bethleemitico: secundum autem, qui futurus est, quando idem Filius Dei in fine mundi judicaturus veniet cum gloriâ & majestâte vivos, ac mortuos in valle Josaphat. Jam in utroque adventu commovendos esse cœlos, sacra commemorat Scriptura: quantum ad primum, luculenter hoc asserit Vates Aggæus, cap. 2. v. 7. & 8. *hac dicit Dominus exercituum; & ego commovebo cælum; & veniet desideratus cunctis gentibus:* quantum ad secundum, non minus clarè id affirmat Propheta Joel cap. 3. v. 16. *Dominus de Sion rugiet, & movebuntur cæli.* Commoti sunt cœli in primo adventu, quia nascente Chri-

sto miserunt totum exercitum Angelorum cum júbilo canentium, *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus.* Luc. 2. v. 14, quia dederunt insoliti stellam splendoris, quæ apparuit magis, eosque deduxit ad Christum justitiæ solem; quia aurei coloris globus, circa id tempus, Romanis visus est è cœlo ad terram descendere, ibique major effectus, iterum ascendere in cœlum: uti refert Orosius lib. 6. histor. c. 18. Ut plures alias taceam rationes. In secundo adventu movebuntur cœli non tantùm juxta Prophetiam Joëlis, sed ipsius divinæ Veritatis in hodierno Evangelio: *Et virtutes cœlorum commovebuntur:* quâ ratione commovendi sint, diversæ sunt sententiæ: movebuntur cœli, *quia sinu suo excipient beatos, eisque quasi applaudent,* inquit Lyrannus. *movebuntur cæli, id est, cælestes, puta beati, ad exultandum, & jubi-*

Index Concionatorius.

jubilandum, cum à Christo Judice audient: *Venite benedicti Patris mei*; inquit Cornelius, movebuntur cœli, & virtutes cœlorum, nempe Angeli, qui magnâ vi cœlos gyrant, & movent: hi commovebuntur, quia ipsi quasi ministri divinæ justitiæ, & vindictæ in impios, mutabunt ordinem, & modum solitum movendi cœlos: quâ de causâ omnia inferiora miscebuntur, ac sursum, deor-

sum ibunt; inquit Suarez. 3. p. q. 59. Art. 6. disp. 56. Sect. 3. Ut & nostra cum cœlis hodie moveantur corda ad Dei laudem, ejusque amorem, piâ curiositate libeat nobis cœlos aspicere, ac ipsorum admirari prodigia, potissimum etiam præsentem, & ordinarium ipsorum motum; unde & vitæ benè instituendæ hauriemus documenta. Consult. 14. Art. 6. & Consult. 22. Art. 4.

Eâdem Dominicâ.

T H E M A.

Tunc, qui legit, intelligat. Matth. 24. v. 15.

Synopsis Concionis.

ESt hîc occasio sussimè agendi de fructu multiplici, quem affert lectio librorum spiritualium. Con-

sult. 30. per totam, ubi introductio-
ne uti poteris pro Exordio.

Dominicâ Dedicacionis.

T H E M A.

Et quærebat videre Jesum, quis esset. Luc. 19. v. 3.

Synopsis Concionis.

HAud mirum est, quod tanto videnti Jesum exæstuet desiderio Zachæus; si enim alio actus non fuisset stimulo, eximia ipsius, quâ refulgebat Salvator, abundè sufficiebat pulchritudo, cum à naturâ nobis insitum sit amare id, quod est pulchrum, juxta effatum S. Augustini, *pulchras formas amant*

oculi lib. 10. Confess. c. 34. nec dubitare nobis liceat de eo, quod de Salvatore nostro affirmat S. Chryso-
mus hom. 18. in Matth. *sicut insignis in perficiendis miraculis, ita visu gratiosissimus fuit.* Et quid dubitemus de hoc, cum jam olim ab insigni hâc formâ commendaverit ipsum Spiritus sanctus per Davidis ca-
lamum

Cccccc 3

lamum

Index Concionatorius.

Iamum Psal 44. *Speciosus formâ præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis.* Non tantum autem summa in vultu Salvatoris nostri relucet pulchritudo, sed aliqua etiam divinitatis emicabat scintilla, quâ homines ad sui trahebat sequelam; ita iterum asserit S. Chryostomus hom. 13. in Marcum: *In vultu Salvatoris aliquid fuit divinum, quod videntes homines sequebatur;* cui ad stipulatur S. Hieronymus in Matth. c. 4. *Certè fulgor ipse, & majestas divinitatis occulta ex primo ad se venientes trahere poterat aspectu:* quod enim pulchritudo divina quædam res sit, agnoverunt & ipsi Ethnici, inter quos Isocrates in laudatione Helenæ inter alia affirmat: *pulchritudinem esse augustiorem, & pretiosioram, & diviniorem omnibus rebus;* ubi etiam addit: *formosos olim coli solitos tanquam Deos, pluresque propter pulchritudinem, adeptos esse divinitatem, quàm propter omnes alias virtutes.* Ethnici quondam, ut legimus Actor. 14. num. 11. Lystris Paulum, & Barnabam admi-

rantes, vocabant Barnabam Jovem, Paulum, verò Mercurium. Quærat aliquis, si Jupiter Divum Pater atque hominum Rex ab Ethnici credebatur: cur non potius Paulum qui erat Apostolorum Princeps, quàm Barnabam Jovem appellabant? D. Chryostomus hom. 30. sensisse videtur, rationem fuisse, quod Barnabas præstantioris, & elegantioris formæ fuerit: Mihi quidè, inquit, videtur, etiam ab aspectu venerabilis fuisse Barnabas: quasi gentiles homines censerent formæ præstantiori, quàm Barnabas habebat, divinitatè quoq; præstantiorè, qualem Jupiter habere credebatur, deferendam. Cum igitur homines tanti æstiment pulchritudinem, tantoque illius exæstuent amore, ut tantò vehementius Dei amore succendamur, in præsentem sermonem velut imagine vivacioribus, in quantum infirmitas humana permittet, coloribus ipsius Dei delineabo pulchritudinem; quâ imagine hodie præsentem adornabo Ecclesiam, cujus solemnem celebramus Dedicacionem, Consult. 24. Art. 3. & 4.

Eâdem Dedicacionis Dominicâ.

T H E M A.

Venit Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat. Luc. 19. v. 10.

Synopsis Concionis.

GLoria magna est sequi Dominum, inquit Ecclesiasticus cap. 23. v. 38. non minori autem gloriæ sibi ducit Deus, suas sequi creaturas, & inter has, præcipuè animam huma-

nam, dum fugit ab eo. Sunt omnes creaturæ, consequenter & animæ nostræ respectu DEI nil aliud, nisi umbræ; ipsas sequitur, & summo amore profecquitur Deus, velut corpus

pus

Index Concinatorius.

pus sequitur, & prosequitur umbram introductio servire poterit pro Exor-
suam. Consult. 4. Art. 1. cujus etiam dio.

Pro quâlibet Dominicâ totius anni,

T H E M A.

In illo tempore.

Synopsis Concionis.

CŪm Sancta Mater Ecclesia, ut-
pote directâ à Spiritu Sancto, in
omnibus Evangeliiis per annum tam
Dominicalibus, quàm Festivalibus,
tam frequentem faciat mentionem
temporis, repetendo identidem,
& absque intermissione hæc nostri
thematis verba: *In illo tempore*; pre-
tiosissimam omninò, & maximi va-
loris rem esse tempus oportet; Et
fanè est juxta effatum melliflui S.
Bernardi in declamat. post med. di-
centis: *Nihil pretiosius tempore*; huic
adstipulatur Seraphicus Doctor
S. Bonaventura, ejusque rei ratione
addit Expositione 2. Super Pl. 118. c.
8. v. 14. dicens: *Nihil pretiosius tempore,*
quia nihil pretiosius pœnitenti, nihil
pretiosius proficienti, nihil pretiosius
pervenienti. Sed sciendum est, du-
plicis generis esse tempus; nempe
tempus instabile, fluxum, transito-
rium; Et tempus immobile, perpe-
tuum, æternum. De prioris insta-
bilitate cecinit verissimè Vates Re-
gius Psal. 101. v. 4. *Defecerunt si-*
cut fumus dies mei, & dies mei sicut
umbra declinaverunt; à quo procul
non abludivit Hussiticus Princeps cap.

7. v. 6. Congeriem dierum vitæ sœ-
conferens cum momentaneo forficis,
aut texentis dexteræ motu: *Dies mei*
vehocius transierunt, quàm à texente
tela succiditur. De posterioris autem
nempe æternitatis stabilitate ita pereleganter
scribit S. Augustinus Sermonè 17. de verbis
Dom. *Dies ille nescit ortum, nescit*
occasum: Illi diei non succedit crastinus,
quia non præcedit eum hesternus. Quamvis
autem præfatus S. Augustinus dicat, æternitatem
strictè acceptam non esse tempus, dum
tractat. 23. in cap. 5. Joan. asserit: *Vera*
æternitas est, ubi temporis nihil est; habeo
tamen suffragantem mihi Scripturam; æternitatem
dici posse tempus; Sic enim luculenter
ait de Deo Baruch. cap. 3. v. 32. *Qui*
præparavit terram in æterno tempore,
& replevit eam. Et Prophetâ Regius ipsos
annos, qui temporis duntaxat sunt portio,
æternitatis nomine condecorat Psal. 76. v. 6.
Cogitavi dies antiquos, & annos æternos
in mente habui. Jam autem in ipsâ æternitate
maximam iterum invenio differentiam: Est
namque æterni.

Index Concinatorius.

æternitas Dei, est etiã æternitas creaturæ: æternitas Dei & caret principio & fine, æternitas autem creaturæ fine quidem caret, non tamen caret principio, adeoque dimidia tantum, & imperfecta est æternitas. Ego hodie loqui volens de æternitate, dimidiam hanc creaturæ æternitatem dimitto, & amplector æternitatem integram, omni ex parte

consummatam, & perfectam, nempe æternitatem DEI. Ut ex hac proficiamus ad vitam æternam, rudem vobis ejusdem, in præsentî sermone, delineationem, ac idæam pro modulo nostro humano proponam, & salutaria quædam ex eâ, pro vitæ nostræ directione, documenta declarabo. Consultat.

XI. Artic. 1. & 2.

F I N I S.

